6
11-B
50

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 K
38



6-11 B. 50

Digitized by Google

Digitized by Google

X.14.20

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google



Pullius ſculp. ex Archetypo quod extat apud Clem. Vannettum

CLEMENTINI VANNETTII
EQUITIS
COMMENTARIUS
DE VITA
ALEXANDRI GEORGII.

ACCEDUNT NONNULLÆ UTRIUSQUE EPISTOLÆ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



EXCUDEBANT PAZZINII CARLII FRATRES

SENIS ANNO CIϽ. IϽ. CC. LXXIX.

Præſidum Facult.

Google

Duri ſolatia caſus

Virgilius Æn. l. VI.

Digitized by Google

CHRISTINO FRANCISCO BEVILAQUÆ MARCHIONI PATRICIO FERRARIENSI

CLEMENTINUS VANNETTIUS S. D.

IN ſummo animi dolore, CHRISTINE BEVILAQUA Vir præſtantiſſime, quem ex Alexandri Georgii, tui Fratris Filiorum Præceptoris, obitu

accepi, me ipſe, quoad potui, confirmavi, ut aliquid de eo litterarum monumentis mandarem potius, quam inutilibus lacrymis tempus omne conſumerem. Quod quum facere inſtituiſſem, non habui neceſſe deliberare, cujus potiſſimum nomine meum opuſculum illuſtrarem. Quum enim tot, tantaque tua in Georgium extiterint beneficia, ut ne ab optimo quidem parente majora expectare potuerit; quumque tu illi ſuo tempore perneceſſario ædes iſtas, Muſarum perfugium ac ſedem, patefeceris, atque omnium rerum, quæ ad corporis animique

cul-

cultum pertinerent, copiam ſuppeditaris, eumque & vivum ſemper dilexeris, & nuper etiam domi tuæ mortuum familiariter luxeris; jam non ullum officium, nec mea ſumma in te obſervantia, ſed res ipſa a me poſtulare viſa eſt, ut quæ de hoc homine ſcripſiſſem; qualiacumque tandem eſſent, nemini alii, niſi tibi dicarem.

Atque hic eſſet locus de tuis ſingularibus in omni genere virtutibus prædicandi: ſtirpis enim antiquitatem, ſplendoremque Majorum mirari non ſoleo. Sed quoniam aſſentatorum levitas omnem

hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi epiſtolarum fidem jam diu elevavit; non faciam profecto, ut quum materiem laudum tuarum non vulgarem, ſed præcipuam, non fictam, ſed veriſſimam habeam, hanc ei Scripturæ committam, quæ minimum ponderis habitura eſſe videatur.

Itaque cætera in præſens relinquam: hoc unum modo affirmabo, Georgii gloriam ita eſſe cum tua conjunctam, ut nihil ab eo vel ſapienter factum, vel præclare excogitatum lecturi ſint poſteri, quin ejus rei magna pars laudis in te redundet. Etenim ſic propemodum ſtatuo,

ipſum

ipſum Georgium niſi in tuam amicitiam tuumque convictum perveniſſet, ad id doctrinæ claritatiſque faſtigium non fuiſſe emerſurum.

Accipies igitur pro tua perpetua in me humanitate hoc parvum Commentariolum libenti animo (neque enim quod tibi debeatur, munus audeo dicere) meque, ſi ita meritum arbitrare, in tuorum numero habere perges. Vale.

De Iſeriano IV. *Idus Septembris* CIↃ.IↃ.CC.LXXIX.

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE VITA ALEXANDRI GEORGII.

I. NOn ignoro equidem, illam veriſſimam propoſitam eſſe Hiſtoricis legem, ut non ſolum odio, verum etiam amore omni ſic vacent, ut nec falſi quidquam dicere audeant, nec veri non audeant. Mihi autem de Alexandri Georgii vita aliquid ſcribere conanti verendum non eſt profecto, ne amicitia, quæ mihi cum ipſo

Digitized by Google

fuit maxima, me aut a vero re ipſa abducat, aut in vanitatis ſuſpicionem apud alios, qui pridem ipſum noverint, vocet. Etenim quum ego illum non ex amore admirari, ut plerumque fit, ſed ex admiratione amare cœperim, eum amorem ſequor, qui cum ſincero incorruptoque judicio ſit conjunctus. Quum autem ita jam pridem judicare potuerim, Georgium non unum eſſe e multis, qui doctrinæ ac probitatis laude florerent, ſed inter multos propemodum ſingularem; video ad eum laudandum nec mendacio uſquam eſſe opus, neque ſilentio. Nam cum omni virtutum genere abundavit, tum, quoad homini fas fuit, vitiis omnibus caruit.

II. Quod utinam ipſum coram aliquando videre atque alloqui licuiſſet: nunc enim quum ejus res atque mores ex ipſius tantum ad me Epiſtolis, atque a Franciſci Malfatti Sobrini mei, quotidiani

diani ejus ſtudiorum teſtis, prædicatione cognitos habeam; intelligo, multa in hoc ſcripto multos eſſe deſideraturos, quæ, niſi præſenti & diuturna conſuetudine, adverti notarique non poſſunt. In quo tamen non metuo ne reprehendar, ſi majorem pietatis rationem habui, quam facultatis, & ſi Amici in ipſo pæne ætatis flore ſublati memoriam aliquo potius officio proſequi malui, quam nullo. Quod quidem & ipſi, qui mihi nunc ex illo divino animorum concilio meum luctum meaſque lacrimas intueri, ac meis cogitationibus quodammodo intereſſe videtur, ſpero fore gratiſſimum. Itaque jam exordiar.

III. Alexander Georgius Venetiis natus eſt anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo III. Idus Septembres. Quod nos quidem magnum fortunæ munus putamus, urbe in ea lucem aſpexiſſe, in qua una veteris Romano-

rum & ſapientiæ & dignitatis quaſi ſimulacrum reſideat. Patrem habuit Leonardum Georgium Venetum, matrem Carolinam Trechmayriam Caroli filiam, nobilis apud Germanos viri, qui in Sarmatarum Regis exercitu meruit, legionemque duxit Tribunus militum. Sed & Georgiorum familia ante aliquot ætates in patriciis fuit, quæ poſtea quum humiliori connubio ad Scribas tranſiſſet (qui ordo patricio proximus habetur), in Patavinam nobilitatem eſt adſcita. Alexander mature admodum in Jeſuitarum diſciplinam traditus eſt, quo ad humanitatem ac philoſophiam inſtitueretur. Qui quum & ingenio eſſet ſummo & præclara indole, ut ſecundum religionem nihil haberet litteris carius, fluxis mortalium rebus nuntium remittendum, atque illud ipſum D. Ignatii inſtitutum ſequendum ſibi eſſe ſtatuit. Itaque decimo ſepti-

mo

mo anno in Societatem jam jamque perituram Bononiæ nomen dedit.

IV. Tirocinio poſito, Placentiam biennio poſt ſe contulit Rhetoricæ addiſcendæ cauſſa, mox Parmam docendæ Grammaticæ. Sed brevi cum ceteris Sociis Bononiam rediit. Ubi quum pari modo ſcholam aliquandiu habuiſſet, frequentiſſima ſanguinis exſcreatione id muneris omittere coactus eſt. Qua re jam tum oſtendit, ei morbo ſe obnoxium fore, qui ipſi poſtea fuit fatalis. Neque eo ſecius ad Theologiam penitus cognoſcendam acceſſit, iniitque Sacerdotium annorum trium & viginti. Atque in hac Bononienſi commoratione facile ſibi aditus patuit cum ad alios doctiſſimos viros, quorum in ea urbe ſingularis ſemper exſtitit copia, tum ad maximum illud poſt Leonis Decimi tempora Latinarum noſtrarumque litterarum lumen Franciſcum Zanottum. Itaque adoleſcens ſa-

pientiſſimo Seni, cui uſque ad extremum diem mira conſtitiſſe feſtivitas dicitur, fuit jucundiſſimus. Etenim ille, qua erat ſagacitate, intelligebat profecto, ineſſe in Georgii mente eximiam vim quandam, deque eo, ut Socrates olim de Iſocrate, rectiſſime augurabatur.

V. Sequutum eſt illud, quum Jeſuitarum Societas, quæ tantas habere radices, quantus eſt orbis terrarum, putabatur, Clementis XIV. Pontificis Maximi nutu, tamquam fulmine, exciſa ac deleta eſt. Qua ille communium temporum calamitate perculſus, in Patriæ portum confugit. Quo quum veniſſet, quoniam nimia majorum comitate rei familiaris anguſtiis premebatur, in ipſa doctrina fortunarum præſidium invenit ſuarum. Etenim intra parietes ludum aperuit, in quo adoleſcentes, qui aut ſacris initiati eſſent aut jam Sacerdotio fungerentur, Theologicis diſciplinis eru-

di-

diret. Cujus plena ſapientiæ vox ut primum eſt audita, major in dies concurſus ad eum fieri cœptus eſt ſub tali doctore proficere cupientium. Ac diutius fortaſſe in eo munere permanſiſſet, niſi Chriſtini Bevilaquæ Patricii Ferrarienſis ampliſſimi viri liberalitas multo lautiorem ei conditionem obtuliſſet. Namque ipſum ultro magnis præmiis domum ſuam invitavit, ut duos illos, quos Frater ſibi moriens commendaſſet, filios quam diligentiſſime informandos regendoſque ſuſciperet. In quo difficile intellectu eſt, uter meliori fortuna ſit uſus: certe nec Bevilaqua aptiorem magiſtrum atque illis Græcis ſimiliorem, quos antiquitas celebrat; nec amantiorem Patronum invenire Georgius potuiſſet. Eſt enim Chriſtinus ex eorum numero, qui nec generis nobilitati, quæ a virtute ſejuncta ſit, quidquam tribuunt, & divitias, quas plerique aut miſere obruunt aut ſtulte

projiciunt, ad alenda potiſſimum doctorum virorum ſtudia ſibi datas eſſe arbitrantur. Itaque ejus domum quamlam bonarum artium quaſi officinam eſſe dixeris: ita præclaris rebus omnibus ornata atque inſtructa eſt. Neque enim ſolum litteratorum hominum amicitiis & contubernio maxime delectatur, ſed cum ipſe in primis eſt cultus atque eruditus, tum illud præcipue ſtudet, ut ejus fratris filiis (quibus non tam patruus natura eſt, quam animo pater, & in quorum adoleſcentia ſuaviſſime acquieſcit) nihil admodum ullo in genere deſit, quo minus quam exſpectationem ſui apud omnes concitarunt, ei cumulate ſatis faciant.

VI. Hic igitur quum miram Alexandri ſollertiam fidemque & probitatem perſpexiſſet, tanta hominem benevolentia complexus eſt, ut dignum poſtea ſemper habuerit, cui maxima minimaque omnia concrederet. At ille viciſſim ei gra-

tiam

tiam referebat, neque ſe, quoad poterat, officiis vinci patiebatur. Ita autem uſquequaque ſe geſſit, ut nec ſuperbius quidquam fecerit aut liberius, & ſemper dignitatem retinuerit ſuam. Neque enim pædagogi alicujus loco ſe exiſtimabat eſſe, ſed utique hoſpitis atque amici, qui pueros illos in ſpem Patriæ adoleſcentes non quaſi in ludo, ſed & docendo aliquid, & vero ſæpius monendo, percunctando, una legendo, denique aſſiduo convictu ſermonibuſque familiaribus ad ſcientiam atque ad virtutem inſtrueret. Quod quidem diſciplinæ genus merito utiliſſimum exiſtimatur. Nihil enim pueris moleſtius, nihil odioſius, quam ſcholæ nomen; at iidem quum magiſtrum ſe docere profeſſum averſentur, diſſimulanter docentem libentiſſime audiunt. Hoc igitur Georgio tum æſtate tum hieme quotidianum erat, ut quum veſperi amplius tres horas variis exercitationibus pueros

non

non tam continuiſſet, quam oblectaſſet, quorum acumen, docilitatem, feſtivitatemque & diligebat & prædicabat, ut etiam amicos auditum tentatumque admitteret; parciſſime cœnatus, abderet ſe in cubiculum, atque intentiſſimo animo in lucem lucubraret, albenteque demum cœlo quieti ſe traderet. Quem quum familiares monerent, videret quid ageret, hoc reſponſum ferebant, dum neceſſitati aliquando ſatis faceret, parum referre, utrum noctu id faceret, an die.

VII. Pomeridiana tempora amicis facile tribuebat. Nam quum veteri philoſophorum more turbam odiſſet, ac domo non ſæpe exiret, complures autem fama impulſi notitiam ejus & colloquium expeterent, ea re fiebat, ut numquam interdiu ab interpellatoribus tutus eſſet. Ac conſtat fuiſſe, qui de induſtria ſe in Bevilaquæ domum inſinuarent, quo ſibi humaniſſima Georgii conſuetudine frui

frui quotidie liceret. Ad quem quidem nemo unquam acceſſit, quin & doctior & cum magna redeundi cupiditate diſceſſerit. Forte in eamdem domum aliquanto ante ſe contulerat Franciſcus Malfattus Sobrinus meus Chriſtini munificentia & ipſe invitatus. Cui etſi ſcio, me non gratiſſimum facturum, ſi de eo quæ ſentiam aperte dixero, dicam tamen, nec veritati vel ejus gratiam vel pudorem meum anteponam.

VIII. Eſt igitur Malfattus miris quibuſdam virtutibus præditus: mitto mathematicarum rerum ſcientiam, quam ita in Ferrarienſi Lycæo profitetur, ut magni Riccatii diſcipulum facile agnoſcant omnes; mitto etiam ſtudia doctrinæ, in quibus ſic interdum verſatur, ut appareat, eum omnia poſſe quæ velit; de his loquor, quæ animi, non ingenii ſunt, integritate, modeſtia, ſimplicitate, beneficentia, ſuavitate, quæ in illo prorſus

ſus maxima ac ſumma ſunt. Itaque nemini mirum videri debet, ſi Georgius hunc ſimul cognovit & amare cœpit. Qui quidem amor e virtutis amore, atque ex animorum ſimilitudine ortus, & quotidiano uſu confirmatus brevi incredibiliter adolevit. Igitur magna erat inter eos voluntatum conſenſio, ſtudiorum etiam conſiliorumque ſine ulla exceptione communitas; ut jure Bevilaqua gloriari poſſet, ſua opera amicorum par nobiliſſimum exſtitiſſe. Quæ res cum ipſos illuſtrabat, tum hujus judicium, qui tales viros delegiſſet, commendabat plurimum; eoque magis, quod peculiaris litteratorum morbus ſemper fuiſſe videtur invidia. Quum enim pluris vulgo ingenia æſtimarentur, quam mores, inde factum arbitror, ut pleriquе doctiores, quam probiores videri mallent. Quæ contentio & amicitiam & veritatem tollat, neceſſe eſt. Quod quidem tantam habet apud

opti-

optimos quoſdam viros offenſionem, ut litteras ipſas, inſcite quidem, ſed tamen refugiant, quum videant, litteratiſſimum quemque fere eſſe fallaciæ invidiæque pleniſſimum. Georgius autem quum obtrectaret nemini, a bonis omnibus amabatur. Itaque etiam Ferrarienſium doctiſſimos familiaritate implicatos habuit, ex quibus duo tantum honoris cauſſa nominabo, quos mihi quoque ipſi conciliavit, Laurentium Barottum, & Vincentium Montium Poetam.

IX. Hoc ille tam opportunum otium quum eſſet nactus, planeque in Muſarum quaſi complexu verſaretur, ea intendit animo, quæ ſi perficere licuiſſet, magnam profecto gratiam ei tota Italia debuiſſet. Sed hæc demonſtrabimus poſtea. Namque initio librum edidit de ratione utriuſque linguæ Italicæ Latinæque pueris tradendæ, eumque Patrono ſuo dedicavit,

vit. (1) Qua in epiſtola veriſſimis laudibus referta illud poſuit, ſe, quamvis ea omnia ante annos ferme decem, quum ſcilicet in Jeſuitarum ſcholis pueros vel ad ſeptem & nonaginta ſimul doceret, animo informata ac deſcripta habuerit, non fuiſſe tamen litteris mandaturum, niſi id ipſum ab ſeſe novorum diſcipulorum amor expreſſiſſet. Procœmium porro attexuit, in quo conſilium atque univerſam rationem ſuam ita complexus eſt ut cum ea, quæ rem proprie continebant diſtinćte atque illuminate expoſuerit, tum vero multa de puerorum intelligentia, deque erroribus inſtitutorum non pingui minerva, ut ajunt, ſed accuratius exquiſitiuſ-

(1) Hic liber Ferrariæ ab Joſepho Rinaldo impreſſus eſt anno MDCCLXXV. hoc titulo: *Del modo d' inſegnare a' fanciulli le due lingue Italiana e Latina, trattato di Aleſſandro Zorzi Veneziano.* Facta eſt de eo mentio in Ephemeridibus Romanis eodem anno ad pag. 245. Num. XXXI.

ſitiuſque diſſeruerit. Opus ipſum perſequi non eſt inſtituti noſtri; tantum dicemus, Georgium quædam a Clenardo & Clarchio ſumpſiſſe, cetera fere nova attuliſſe (quam tamen novitatem ipſe non magnopere præ ſe fert) eaque præclaris exemplis illuſtraſſe. Qui quidem omne Grammaticæ munus ad tria revocans, ſyntaxim, verborum uſum, eorumdemque declinationem; ac duo priora ex una interpretandorum auctorum conſuetudine, hoc vero tertium e certis tabulis, quas ipſe excogitarit, percipi poſſe demonſtrans, illud unum habet propoſitum, ut ſimplices quaſdam atque expeditas & docendi & diſcendi vias cum ſincera elegantia conjunctas in ſcholas inducat, Grammaticorum ſalebras barbariemque removeat. Itaque qui hæc legat, ſtatim intelligat, non a Grammatico aliquo paullo doctiore, ſed ab acutiſſimo experientiſſimoque Philoſopho profecta eſſe, neque tamen

ab

ab eo, qui ſuo potius ingenio ſerviat, quam communi utilitati. Quod contra fit a non paucis, qui idcirco pervulgata rejiciunt, non quo aut illa re vera improbent aut ipſi habeant meliora, ſed ut ſe tamen excerpant. Quorum libri, ut nocturni per æſtatem ignes, primo fulgore evaneſcunt. Quapropter magiſtris vehementer auctores ſumus, ut hanc docendi rationem, quæ ad profectus tum celeritatem tum magnitudinem mirum in modum ſit appoſita, & cognoſcant & amplectantur. Nam de ſtilo quidem, quo totum opus ſcriptum eſt, lectores malumus exiſtimare.

X. Habebat omnino Georgius & peracre judicium, & aures maxime teretes ac religioſas: nihil autem æque oderat, atque obſcuritatem, nihil ſic amabat, quomodo planum atque apertum ſcribendi genus, tantumque perſpicuitati tribuebat, ut etiam ſi ceteris laudibus careret,

hac

hac una contentum ſe eſſe diceret. Verum in eligendis quoque collocandiſque verbis magna erat cura. Nam nec aſperis aut inſolentibus utebatur, & quærebat veriſſima. Ea porro ſic devinciebat, ut æquabile quiddam exſiſteret & jucundum. In quo uſque eo difficilis ac moroſus erat, ut etiam in ſummis auctoribus numerum ſæpe requireret. Nec vero longiores comprehenſiones conſectabatur; quin potius minutis, ſed aptiſſimis membris orationem carpebat. Aberat enim ab illa rhetorum copia atque ubertate; in eoque prorſus animi ſui imaginem exprimebat, quod concitata & vibrantia repudiaret, modica aſſumeret & temperata, ut quamquam jejunus non eſſet, tamen aliquid ejus orationi fortaſſe addi poſſet, detrahi quidem certe nihil. Sed idem afferebat miram quandam urbanitatem venuſtatemque non tam verborum, quam ſententiarum, quæ quum ita in animos influat,

nihil ut ſuavius fieri poſſit, quorundam ſcriptorum non ampullis, ſed prope jam fulminibus longe videtur anteponenda. Sic autem prædicare ſolebat, ſe a nemine tantum præſidii ad bene ſcribendum habere, quantum ab uno Alambertio, quem ut præclarum & diſſerendi & eloquendi magiſtrum colebat. Neque vero Gallorum tantum diſertiſſimos legerat, qua lingua ipſe etiam haud imperite utebatur, ſed & Anglorum, quorum ſcripta ex tempore convertebat. Ac ſcio, inuſtam eſſe ab adverſariis ejus ſtilo hanc notam, quaſi gallicum quiddam redoleret. A quibus tantum diſſentio, ut quum illud facile concedam, in philoſophandi ſcientia, ac cogitata digerendi confirmandique arte multa Georgium ab Gallis didiciſſe; quæ tamen orationis propria ſunt, verba verborumque complexio, imagines, color, hæc omnia ſic uſurpaſſe contendam, ut ſumma in eo appareat patrii ſermonis integritas, peregrinitas nulla.

XI.

XI. Quanquam illud affirmare non dubitarim, quod ego quidem pro certo habeo, alii fortaſſe mirabuntur, majorem in eo latinæ linguæ & facultatem & elegantiam fuiſſe. Nam quum e Malfatti ſermonibus de me ille primum aliquid inaudiſſet (cujus rei magna ſemper apud me erit memoria), atque ultro latine ad me ſcripſiſſet, Tullii epiſtolam legere mihi ſum viſus. Quem poſtea quum crebrius nec fruſtra provocarem, intellexi eaſdem illas virtutes, quæ in italicis ejus ſcriptis elucerent; ubi ſe ad latina contuliſſet, condimentum quoddam abſolutionemque percipere. Itaque (abſit verbo invidia) jam diu ſic ſtatui, neminem fere memoria noſtra de hujus laudis principatu cum eo certare potuiſſe, præter Zannottum. Ceteri enim qui in hoc genere excelluerunt, qui ſane ſunt pauci, ut dictionis ſplendore ſint ipſi pares, ambitu, concinnitate, lepore certe ſunt inferiores. Sequebatur

autem ex omnibus maxime Ciceronem, atque hujus ipſius id potiſſimum ſcribendi genus, quod in libris de philoſophia adhibuiſſet, ſubtile quidem illud & preſſum, ſed tamen nec raris diſtinctum floſculis, & jucundiſſimis clauſulis interpunctum. Quod quidem quum faceret, in illud moleſtæ imitationis vitium, quod ſuperiorem tenuit ætatem, non incurrebat; ſic prorſus, ut non Ciceroni eſſe ſimilis quia eum expreſſiſſet, ſed quia ſimilis eſſet expreſſiſſe videretur.

XII. Atque hic quidem diligentiſſimam adoleſcens latinis litteris operam dederat, iiſque plus multo, quam domeſticis fuerat delectatus. Sed poſtquam Gallorum libros ſtudioſe lectitare coeperat, neſcio quo modo ſe ad eos inclinarat, qui ajunt, hodie bene latine ſcribi non poſſe: cujus ſectæ princeps & quaſi caput eſt Alambertius. Itaque abiecta latinitate, ſtudium omne ad patriam linguam tranſtu-

lerat,

lerat, quam ſe multo verius callere poſſe atbitrabatur. De quo quum ad me accurate ſcripſiſſet, faciendum mihi putavi, ut ſententiam ipſi meam viciſſim aperirem. Ego enim quamquam & italice ſcribendi conſilium maxime probabam, & in quibuſdam a latinis nos longe abeſſe non infitiabar, hoc tamen defendebam, veterem illum ſermonem nobis dumtaxat, hoc eſt Italis hominibus effingere imitando licere. In quo ſummam ejus æquitatem cognovi. Nam etſi eam opinionem, quam veriſſimam putabat, non plane depoſuit, tamen & quædam conceſſit, & vero permiſit, ut rem totam ad virum judicio præcellentem Hieronymum Tiraboſchium, quo uterque noſtrum amico utebatur, rejicerem. Qui quidem Italorum cauſſæ favere ſe oſtendit.

XIII. Quoniam igitur hæc quæſtio doctorum hominum coetus jam diu pervagatur, non alienum mihi viſum eſt, quas

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

de ea re inter nos miſimus epiſtolas, eas in lucem proferre, ac nonnullas etiam adjungere familiariter ſcriptas. Quamquam initio id ne facerem, pudore quodam impediebar, quod Georgius multis locis me laudibus oneraret. Verum poſtea ſic cogitavi, intempeſtivam eſſe verecundiam, quæ amici gloriæ obeſſet; quum præſertim pateret, tales laudes ejus eſſe non judicii, ſed benevolentiæ teſtimonium: quare ſi illas epiſtolas continuiſſem, & litterariam rem publicam ſine cauſſa non contemnendo munere fraudatum iri; & vero, quum latina Georgii ſcripta exſtarent præterea nulla, quippe id ipſe neglexit, hoc tantum ejus bonum debita gratia apud poſteros cariturum. Nam quod mea quoque reſponſa adjeci, id me neceſſario feciſſe quivis intelliget. Neque enim alioqui ignorabam, quam iniquam comparationem ſubirem. Quod ſi erunt qui dicant, has epiſtolas in vulgus edi non debuiſſe, quod

nihil

nihil magnopere contineant, præter negotia quædam & jocationes; ii ſic habeant, me Georgii non doctrinam demonſtrare voluiſſe ſed elegantiam, quæ quidem in oratione maxime enitet familiari. Quamquam hujuſmodi reprehenſores nolim omnino ad hoc volumen accedere.

XIV. Hic igitur quum & noſtris & externis litteris (nam & Græcis ſtuduerat) ita eſſet doctus, ut inter eos, qui philologi appellantur, poſſet excellere; tamen hæc ut levia, ſi minus contemnens, certe non magni faciens, ſeveriores diſciplinas ſibi potiſſimum colendas putavit, ad quas quidem natura factus videbatur. Ex ipſis autem his diſciplinis duas ſumme in deliciis habuit, *Metaphyſicen*, & Theologiam (utar enim illo verbo, ut & hoc, pro latino): quæ quantam mentis aciem deſiderent, quam firmum judicium, quantam etiam moderationem nemo eſt qui ignoret. Itaque nimirum hinc fieri vide-

mus, ut multi, quibus obtuſior eſt mens, ita in his ſtudiis verſentur, ut ſpiſſis voluminibus nihil proferant, præter notiſſima; alii vero, acuti illi quidem, ſed qui ingenio temperare nequeunt, ſic notiſſima quæque mutare ſtudeant, ut etiam vera convellant. Qui quidem nihl volunt, niſi novum atque admirabile: eas autem quæſtiones inducunt, quas aut explicare nihil proſit, aut etiam obſit attingere. At in Georgio tanta eminebat cum ingenii, tum prudentiæ vis, quanta opus erat ei, qui propoſitum haberet duas illas diſciplinas ita inter ſe conciliare atque conjungere, ut non liceret noſtræ ætatis Philoſophis ad alteram oppugnandam altera jam abuti.

XV. Hoc autem ille ſequebatur, ut quum a Pontificum Conciliorumque reſponſis diſceſſiſſet, quæ ut inſtinctu divino edita maxime ſuſpiciebat, uni inſiſteret philoſophiæ, ad eamque, tamquam

ad

ad obruſſam, omnia exigeret; Theologorum vero etiam graviſſimorum auctoritate adeo ſe duci non ſineret, ut ſententiam ſuam quæ veritati videretur propior illorum ſententiis ſine dubitatione anteponeret. Etenim dicere ſolebat, ſe exiſtimare plus detrimenti religioni attuliſſe quorundam Theologorum perverſitatem, quam pleraque Philoſophorum etiam vaniſſimorum volumina: Quod ita eſſe facile intelliget qui cogitarit, hos ipſos ad impia ſæpe abiiſſe non tam conſilio, quam indignatione, quod nullam potius religionem mallent, quam ineptam. Itaque pati non quibat, ut aut plura homines crederent quam deberent, aut quædam ſecus ac deberent interpretarentur. Tantæque id ſibi erat curæ, ut ſi quid cuipiam non indocto viro excidiſſet, quod probari non poſſet, non modo verbis, ſed, ſi opus eſſet, etiam ſcriptura confutaret. Quamquam non erat neſcius, ſe eo pacto (quæ eſt hominum

in

in errore pervicacia) invidiam potius, quam laudem invenire; ſed & veritatem ille unice ſequebatur, nec gloriam expetebat, niſi eam, quæ poſt mortem ab incorrupta poſteritate inſolentia jam vacuis impertiri ſolet, non levis neque caduca ſed ſolida atque æterna. Quam quum aſſidue ante oculos haberet, ac neminem ad eam, niſi qui bene auderet & naviter, aſpirare poſſe veriſſime arbitraretur; tantum facinus molitus eſt, quantum Italorum ante ſe nemo. Etenim conſilium iniit conficiendæ *Encyclopædiæ* (eſt enim hujus tam doctæ ætatis hoc nomen jure Latii donare) quæ cum ab illa Pariſienſi plane differret, tum noſtræ genti potiſſimum eſſet uſui. Quod totum eſt ejuſmodi, ut quemadmodum exponam, non reperiam.

XVI. Ac quam magnus quidem ei animus in re ſuſcipienda fuerit, ſatis liquet; quam conſtans autem & firmus in perſequenda, vel ex eo apparet, quod de-

deterrentium amicorum voces non magis audierit, quam ignavi audire ſoleant adhortantium. Igitur ex eo tempore ita ſe totum in hanc curam abdidit conjecitque, ut incredibiles labores atque infinitas occupationes ſuſtinuerit. Quum enim doctiſſimi ex tota Italia viri nulla alia, quam gloriæ ſpe invitandi eſſent, ut quam quiſque ſcientiam vel artem profiteretur, ejus ipſius rationem aut totam, aut per partes explicandam ſuſciperet, perſpicuum eſt, quantum temporis vel una epiſtolarum ſcriptio poſtularet. Quod niſi ſingularis in eo fuiſſet & celeritas & ſollertia, nunquam tam brevi tam multos ad ſocietatem operis perducere potuiſſet. Quamquam Malfatto etiam adjutore plurimum uſus eſt. Verum totius rei ſumma ipſius demum velut humeris nitebatur. Igitur nullus ferme eſt hodie in Italia magni nominis Philoſophus aut Mathematicus aut alioqui litteratus, cujus ille amicitiam non & pe-

tie-

tierit & ſit adeptus. In primis autem hos coluit ſummos viros, Roſalium Mediolaneuſem, Salutium, cujus illuſtria ſunt in Taurinenſem Academiam merita, Lagrangium, qui Berolini magna cnm Italiæ dignitate Boruſſorum Regi operam navat, Gregorium Fontanam civem meum, Jordanum Riccatium, Burſerium, Spallanzanium, Tiraboſchium, Martinium eum, cui in muſicis primæ facile deferuntur, & Canterzanium, qui Bononienſi Academiæ eſt a ſecretis. Atque hi omnes fidem ipſi obligarant; Canterzanius etiam curaverat, ut in eam Academiam, quæ nemini unquam patuit, niſi doctiſſimo, adſciſceretur.

XVII. Poſtquam igitur ſe optime ab ſociis paratum vidit; ratus, maximo operi par quærendum eſſe patrocinium, duo Regios Fratres ſapientiſſime elegit, quorum numini majeſtatique illud dicaret, PETRUM LEOPOLDUM Magnum E-

tru-

truriæ Ducem, & FERDINANDUM Archiducem Auſtriæ. In quo difficile eſt judicare, utrius major eluxerit humanitas ac clementia; certe uterque quum primum ejus rei certior eſt factus, tantam voluntatem tantumque ſtudium declaravit, quantum non erat exſpectandum, niſi ab iis, qui ſic perſuaſum haberent, præcipuum & regum & regnorum cum decus, tum firmamentum in optimarum artium tractatione perfectioneque eſſe poſitum. Quæ res Georgium mirifice confirmavit.

XVIII. Atque ediderat jam ille quidem libellum (1) de novæ hujus italicæ *Encyclopædiæ* propoſito & enucleate & politiſſime ſcriptum. Ex quo licet cognoſcere quam ea, quæ ad rem pertinerent, omnia in animo meditata atque inſtructa, & qua-

(1) Hic quoque prodiit Ferrariæ Rinaldi opera anno MDCCLXXVI. hoc titulo: *Proſpetto di una Nuova Enciclopedia Italiana*.

quaſi ſuo quæque loco ſita haberet, ſic prorſus, ut quod inceptum in aliis fuiſſet impudentis temeritatis, in ipſo eſſet perfecti conſilii. Nam primo quidem oſtendit, quanto in errore verſarentur ii, qui hujuſmodi libros, ex quibus docti homines magno temporis compendio maximas interdum commoditates capiunt, aſpernarentur; deinde gallicam *Encyclopædiam* reverentius quidem, ſed tamen ita excuſſit, ut quam multa in ea peccata eſſent quam multa omiſſa, quam multa non neceſſario congeſta demonſtraret; tum ipſum conſilium ſuum diſertiſſime explicavit, quod eo præcipue ſpectare docuit, ut quum italicus ſermo vocabulorum ad artes pertinentium inopia laboraret, quibus gallicus abundat, ea vocabula hoc in opere vel obſoleta revocarentur, vel formarentur nova; quum autem pauca admodum ab Gallis de moribus inſtitutiſque noſtris commemorata eſſent, theologica vero mul-

ta-

ta perperam poſita, ut & illa adderentur diligenter, & hæc quam veriſſime emendarentur. Poſtremo univerſam operis œconomiam perſequutus eſt ſic, ut ne minutiſſima quidem prætermiſerit. Quod ipſum magni ingenii eſt profecto omnia complecti, nihil denique non videre.

XIX. Hic autem libellus, non dici poteſt, quam valde omnium voluntates incenderit. Sed nihil atque Georgio profuit, ac PETRI LEOPOLDI incredibilis favor. Etenim (ut mos eſt hominibus regia exempla ſequi) tota Etruria ſubito ſic eſt erecta, ut operam ipſi ſuam ultro per Targionium deferre viſa ſit. Quibus ille rebus, tanquam ſecundo aliquo vento, magis & magis provectus, ne nimia operis tarditate tanta hominum ſtudia refrigeſcerent, ſtatuit (id quod etiam eo libello attigerat in extremo), ut ex variis aliquot opuſculis ad id exaratis quoddam quaſi Specimen interea concinnaretur

ex

ex quo periti exiſtimatores, quale porro ipſum opus futurum eſſet, facile poſſent conjicere. Itaque rem cum ceteris aggreſſus, quum *Metaphyſicæ* ac Theologiæ tractationem ipſe eo animo ſuſcepiſſet, ut Theologorum ſpinas atque ineptias revellens, ac nihil non ad Eccleſiæ ſenſum, rectæque rationis normam directum proponens Religioni quam maxime prodeſſet; duas commentationes confecit, quibus fere Theologiæ initia continentur. Namque earum altera eſt de *Libertate*, altera de *Primæva culpa*, cui quidem nonnulla ſubjecit de *Gratia*. Quæ qui legat ab eo ſane explicata tam ſubtilia eleganter, tam obſcura dilucide, fateatur neceſſe eſt, ipſum nec ulli Theologorum familiæ fuiſſe addictum, & de omnibus rebus rectiſſime ſentire ſolitum. Quo magis dolendum eſt, talem virum tam immatura morte prærept um reliqua deinceps, ut conſtituerat, exſequi non potuiſſe. Nam

de

de ceteris quidem Sociis dubitare mihi non licet: eſſet enim probroſæ cujuſdam ſocordiæ, quod Georgio vivo facturi erant, id mortuo deſerere, & cum illius, ac ſuarum vigiliarum fructum ſubito delere, tum Italiæ externarumque gentium exſpectationem fruſtrari. De ipſis commentationibus plura non dicam, ne, quum Specimen, in quo hæ ſunt, Pazziniorum Fratrum opera, qui in nobiliſſimis Italiæ Bibliopolis numerantur, jam Senis exierit (1), doctorum judicia videar velle

C præ-

(1) Hujus Speciminis hæc eſt inſcriptio: *Prodromo della nuova Enciclopedia Italiana*. Continetur autem unico volumine, optima charta, elegantiſſimis litteris. Totum Opus (ut eſt in Epiſtola Pazziniorum ad viros litterarum ſtudioſos VIII. Id. Junias data quæ ſeparatim præmiſſa eſt) ſiquidem ad finem adducatur, XL. volumina facile expleturum videtur.

prævertere. Ac ſcio permultos eſſe in Italia peregrinos homines, qui hæc diſtricto, tanquam gladio, ſic calamo jam diu expectent: qui etiam ſi quid ſcripſerint audiendi non erunt, quum antea de reprehendendo cogitarint, quam plane ſcire potuerint, an quidquam eſſet reprehenſione dignum.

XX. Quare his miſſis, de PETRO LEOPOLDO & FERDINANDO Fratre dicamus aliquid. Nam quum Georgius pulcherrimam illam Epiſtolam ad eos miſiſſet, quæ huic ipſi Specimini eſt præpoſita, hujuſmodi ab utroque protectæ ſunt grati animi ſignificationes, ut ceteris Principibus documentum dare voluiſſe videantur, quantum virtuti deberetur. Itaque his imperantibus Italiæ non ſolum gratulari licet, verum etiam majora in dies augurari. Illud autem tacendum non putamus, tantam fuiſſe in PETRO LEOPOLDO modeſtiam, ut quum in ea Epiſtola

ſtola non tam diſerte quam vere ab Georgio laudatus eſſet, eas ipſas laudes vel tolli vel certe extenuari voluerit; benignitatem vero tantam, ut a. d. x i i. Cal April. Vindobona rediens, quum ad Pontem obſcuri Lacus veniſſet, qui locus Ferraria diſtat tria millia paſſuum, ſui poteſtatem Georgio fecerit, cum eoque duas ipſas horas ſit colloquutus. De quo quidem colloquio ipſe Georgius ad nos ſcripſit in hæc verba: *Magnum Etruriæ Ducem incepto vehementer favere, idque notiſſimum eſſe cupere: quod ſi etiam privatus eſſet, tamen ejus clientela mirifice opus illuſtratum iri; tantam enim in eo apparere cum ingenii vim tum differendi ſcientiam, ut vix unum aut alterum è litteratiſſimis cum ipſo comparandum putet; poſtremo ſe ab illo non humaniter neque amice, ſed plane familiariter exceptum eſſe.* Hæc de LEOPOLDO Georgius: & quidem LEOPOLDUS de Georgio ea po-

ſtea prædicavit, quæ ſumma eſſent: *Se ex ejus ſermonibus magnam cepiſſe voluptatem; quædam etiam in eo bona advertiſſe, quæ a doctiſſimo quoque fere abſint*. Quod teſtimonium eſt ejuſmodi, ut nullam laudationem nulloſque honores cum eo conferamus; atque hæc commemorantes videamur nobis in beatiſſima illa tempora tranſlati, quum Divus Auguſtus & Cajus Cilnius Mæcenas ſuæ excellentis fortunæ obliti ita ſe cum Virgiliis, & Horatiis exæquare eſſent ſoliti, ut eos omni comitate ad mutua neceſſitudinis officia provocarent. Sic enim ſapientiſſimi homines judicabant, non tam doctos viros principum patrocinio, quam Principes doctorum conſuetudine cohoneſtari.

XXI. Sed in viam redeamus. Etenim Georgius, quamvis in unam *Encyclopædiam* omnes curas cogitationeſque converſas habere videretur, tamen, quemadmodum pictores ſolent, inter majoris

ope-

operis tabulas levandi laboris ſui cauſſa Veneris aut Adonidis caput adumbrare, ſic ipſe abducebat ſe interdum ab ſumma illa intentione, & in levioribus quibuſdam rebus, quaſi in opportuno aliquo hoſpitio, requieſcebat. Quod quum faceret, nugari ſe ajebat. Sed utinam ejus nugas imitari nobis liceret. Quid enim illuſtrius fieri poteſt Epiſtolis iis, quas in Martini Serlochii Librum ad Marcum Laſtrium ornatiſſimum ſibique amiciſſimum virum conſcripſit (1)? quas ſi eum tri-

(1) Hæ Epiſtolæ, quas itidem Rinaldus Ferrariæ impreſſit hoc anno MDCCLXXIX. ita inſcribuntur: *Lettere tre di Aleſſabdro Zorzi Veneziano al Sig. Propoſto Marco Laſtri Fiorentino intorno a ciò che ha ſcritto il Sig. Martino Serlok* I. *dello ſtato della poeſia Italiana*, II. *dell' Arioſto*, III. *del Sakeſpear*. Vide de his Ephemerides Romanas Num. XXXIII. p. 258. & Num. XXXIV. p. 266. Vide etiam Epitomen Actis Litterariis Vicentinis inſertam (Vol. VIII. p. 49. Num. 65.) quam ipſi confecimus.

duo abſolviſſe dixero, vereor, ne vetus proverbium aſpernari videar, quo in omni re non quam cito, ſed quam bene, quærere jubemur. Ego vero ut celeritatem per ſe non requiro, ita ſi ad eam diligentiæ bona acceſſerint, non minimi facio. Vulgaverat autem Serlochius Neapoli libellum, in quo homo Anglus non indoctus ille quidem, ſed abſurdus & impudens auctorem ſe ac Ducem Italæ juventuti in poetice (1) præbebat. Qui etſi univerſa ratione haud mediocriter aberrabat (quippe quum omnia fere ad tragicum quoddam & rebus denſum genus revocaret) tria tamen inepte præter cetera poſuerat. Nam & poeticen apud nos velut in incunabulis ob eam cauſſam adhuc

ver-

(1) Serlochiani libelli hic eſt titulus: *Conſiglio ad un Giovane Poeta del Sig. Martino Serlok.*

verſari affirmabat, quod noſtri poetæ nec Græcos nec Gallicos Scriptores evolviſſent, & negabat, Areoſto magni poetæ nomen jure eſſe datum, qui Romanenſes fabellas in poema tranſtuliſſet, & Sacheſpearium omnibus omnium ætatum & poetis & oratoribus fidentiſſime anteponebat. Quæ quidem ſi cui ſuperioribus temporibus in mentem veniſſet ſcribere, næ illi totius Italiæ clamores ac ſibili fuiſſent perferendi. Nunc autem, quod ego ne cogitare quidem ſine pudore poſſum, eo inſaniæ ventum eſt, ut externa amentur, contemnantur domeſtica; & ut quiſque in præcipiendo ſcribendoque falſum quendam ſplendorem maxime ſequitur, ita in pretio potiſſimum habeatur. Itaque corruptis jam magna ex parte hominum voluntatibus, Serlochii liber & legebatur avidiſſime, & ferebatur in primis. Hoc autem neſcio quod genus grandiloquorum poetarum, qui inanimis ſenſum, corpore

expertibus corpus ſine delectu tribuentes infinitam quandam quaſi larvarum turbam excitant, ac ſubinde tum phyſica tum mathematica inculcant, ita ejus ſtudio flagrabat, ut nihil ſupra.

XXII. Quum igitur & mali poetæ quam maxime faverent, & boni, quorum ſane non magna eſt copia, prope furerent; Georgius in certamen primus deſcendit. Nec vero totum Serlochii librum excutiendum ſuſcepit, ſed tres tantum ſententias illas, quas ſupra demonſtravi, ſic quidem, ut ſingulas ſingulis Epiſtolis refutarit. Atque hæc eſt earum ſumma: poeticam, quam nos quidem habemus, tantum ab infantia abeſſe, ut ad extremam ſenectutem ex eo perveniſſe appareat, quod in pejus jam ruat. Ceterum apud nos & ab hinc annos quadringentos fuiſſe Petrarcham, & Epicum poema multo ante, quam apud reliquas nationes, eſſe conditum perfectumque. Græ-

cos

cos poetas non ſolum a noſtris non eſſe neglectos, ſed, quod ii quoque ſciunt qui hiſtoriam leviſſime attigerunt, ſingulari ſtudio, fortaſſe etiam nimio lectitatos. Nam Gallos quidem bonos eſſe Satyrarum ſcriptores, Tragœdiarum ſummos; præterea vix ſtare. Ad Areoſtum quod attinet, non, ſi poema quodpiam Romanenſibus fabulis ſit contextum, idcirco eſſe malum. Ludovici autem poema ita ex his conſtare, ut nec temporibus nec locis nec unitate quidquam peccet. Porro ut Latini Græcas fabulas receperint, ſic ipſum Romanenſes pro Græcis adhibuiſſe; ſed & partium convenientiam & decorum & cætera quæ in arte ſpectantur ſervaſſe; poſtremo ipſa hæc prodigia nihilo minus exemplorum ſuppeditare quam Homerica. De Sacheſpeario ſe tum denique hujus præſtantiam agniturum, ſi ea, quam unam Serlochius urgeat, Marci Antonii contra

Bru-

Brutum Cæſaris percuſſorem oratio tam pulchra revera ſit, quam ei videatur. Hac ille conditione, quam nemo non æquiſſimam dixerit, orationem ipſam aggreſſus, ſic per omnia verſavit, ut plane oſtenderit, nec partitione nec arte nec ſententiis eſſe probabilem. Itaque non video quid hac tertia epiſtola fieri poſſit vel acutius vel ſalſius; quam ſi Anglus ille perlegerit, ſe victum, ut non fateatur, certe ſentiat neceſſe eſt. Sed & duæ priores cum rationum momentis, tum eruditionis non tam copia quam opportunitate plurimum commendantur; ac præter quam quod adeo preſſe ac limate ſcriptæ ſunt, ut rerum numerus verborum prope numerum conſequatur; præterea longe abhorrent ab illo contentioſo, &, ut ſic dicam, pugnaci quorundam ſtilo, quo nihil veritati poteſt eſſe inimicius.

XXIII.

XXIII. Ceterum (neque enim hoc prætermittam, quum ad Italiæ laudem pertineat) quoniam Georgius ad retundendum hominem princeps fuerat, ne ſolus eſſet, curavit poſtea Vincentius Montius, quem in præſtantiſſimis noſtræ ætatis Lyricis ponere non dubito. Is nuper ſelecta quædam Carmina Liburni vulgavit (1), in quibus quum multa inſint vehementia, triſtia, horrida, multa ſublimia, magnifica, generoſa, multa miſerabilia, multa faceta, multa acria, multa dulcia & ſuavia; nihil quidquam reperitur, quod non ſit vel Metii auribus digniſ-

(1) Hac inſcriptione: *Saggio di Poeſie dell' Abate Vincenzo Monti a Sua Eccellenza la Signora Marcheſa Maria Maddalena Trotti Bevilacqua. Livorno* 1779. De Fabula, quæ inſcribitur *Giunone Placata* quæ in poſtremo libro eſt poſita, vide Ephemerides Romanas Num. XXV. De toto autem libro vide eaſdem Num. XXXVII. pag. 291.

Digitized by Google

gniſſimum. Quum autem omnia in ſex veluti claſſes diſtribuerit, interjecit totidem Epiſtolas ad amicos, quæ cum poetica doctrina oblitæ ſunt, tum genus orationis præferunt tam jucundi cujuſdam ſucci plenum, adeo molle, tam ſponte fluens, ut illud refellat, quod vulgo jactari ſolet, eundem bonum poetam & probabilem proſæ ſcriptorem eſſe non poſſe. Harum ergo epiſtolarum quæ inſcripta eſt Onuphrio Minzonio Ferrarienſi, doctiſſimo viro, ea ipſa nonnulla continet, quibus Serlochii perverſitas teſtaretur. Eſt autem, ut ceteræ omnes ſcripta divinitus.

XXIV. Atque ut ad Georgium revertar, vel ex hoc libro cognoſci licet, quo ille ſtudio quaque intelligentia eſſet cum in poeticis rebus, tum omnino in iis artibus quæ liberales vocantur, ex quibus ac præſertim ex pictura crebras petit ſcitiſſimaſque ſimilitudines. Etſi quod

at-

attinet ad poeticen, non ſolum rationem ejus omnem habuit animo comprehenſam, ut veriſſime de poetis judicaret, ſed verſus quoque attigit, ut Sermones ad Horatii exemplum (hoc enim dumtaxat ſevero genere & propter difficultatem minime trito delectabatur) patria lingua haud abſurde ſcriptitaret; quorum tamen nullum emiſit. Scribebat enim non populo, ſed ſibi, vel ut animum relaxaret, vel etiam ut ſtomachum, ſi quid audiſſet quod nollet, aliquo pacto, ſecreto tamen erumperet. Itaque pagellam continuo fere concerpebat. Qui quidem quum poematium Mureti illud, quod inſtitutio puerilis ad fratris filium inſcribitur, totidem Italicis verſibus ab ipſo, ut poſtea ſcivi, expreſſum ad me olim miſiſſet, idque ego jam edere pararem (1); numquam ſe

(1) Hoc poematium adjicendum curavi Soreſii libro de Elementis Italicæ Linguæ, quum is Ro-

ſe exorari paſſus eſt, ut auctorem proderet. Uſque adeo vel poetæ nomen refugiebat; quanquam illum arbitror non quidem hoc nomen, quod ſanctum apud omnes ſemper fuit, aſpernatum eſſe, ſed potius in ſe convenire non cenſuiſſe. Convenisſet autem profecto, ſi id agere voluiſſet. Quod etiam declaravit pulcherrima & philoſophiæ pleniſſima Oratione, quam de Vero quod in poetica verſatur compoſuit: quæ quum ab eo in conventu Academicorum, quos *Intrepidos* vocant, hoc ipſo anno MDCCLXXIX. recitaretur, magna eſt omnium approbatio conſequuta. Hæc igitur erant fere, ad quæ interdum, velut ex itinere, diverteret.

XXV. Sed poſtremo vitæ ſuæ tempore majus etiam aliquid inchoarat, & quod una tantum *Encyclopædia* (terendum

---

boreti imprimeretur anno MDCCLXXVIII. in uſum patrii Gymnaſii [illegible]

dum enim eſt hoc verbum) minus eſſet. Nam quum Bernenſis Academia hoc argumentum philoſophis poſuiſſet, ut leges novas conſcriberent, quibus remota veterum aſperitate pro delictorum magnitudine ſupplicia ſtatuerentur; Georgius in eo quoque genere ſui periculum facere conſtituit. Verum quum paullo ſerius ad id animum adjeciſſet, putaretque cognoſcendis, quas quiſque Bernam miſiſſet, commentationibus menſem Julium, qui proxime effluxit, præſtitutum eſſe; incredibile eſt, qua animi contentione quantaque celeritate cum in loculentiſſimo quoque auctore quæ nam Græci Romanique in pœnis irrogandis ſequerentur quæſierit, tum Gothorum Francorumque & Longobardorum, denique recentium, qui Europam incolunt, populorum leges evolverit. Etenim in animo habebat ita has omnes in unum conferre, ut quod in quaque boni eſſet exceer-

cerpens repudianſque contraria, ſæpe etiam novis vetera commutans, addens aliquando ſua integrum ſcilicet legum quaſi corpus conficeret, in quo propoſita illa juſtitiæ regula diligentiſſime ſervaretur. Quibus rebus dum homines ab judiciorum iniquitate eripere ſtudet, dumque alienæ vitæ præſidium quærit, invenit exitium ſuæ. Etenim tot vigiliæ tantæque laborum moles, quæ vel robuſtiſſimum fatigaſſent, ipſum natura infirmiorem plane fregerunt. Itaque diſſoluto jam ſtomacho & moleſtiſſimum profluvium contraxit, & exeunte Majo aliquantulum ſanguinis exſcreavit. Quæ ille, ut ſolebat, ita contempſit, ut quamvis amici eum orarent atque obſecrarent, ne ad interitum ſciens prudenſque rueret; nihil tamen de quotidianis occupationibus relaxarit. Sic enim ſibi perſuaſerat, quidquid ſanguinis ad eam diem exſpuiſſet, id vel e faucibus vel certe e capite

pite fluxiſſe. Qui ſi timidior fuiſſet, d u-tius ſe nobis conſervare potuiſſet. Verum in eo ipſo ſcilicet malo ſuo fato ducebatur, quod nihil mali ſuſpicaretur.

XXVI. Interim accidit, ut adoleſcens nobiliſſimus Philippus Calcagninus Franciſci Filius Ferrarienſis, qui ob ſingularem virtutem in oculis erat omnium civium, Mantuæ paucorum dierum morbo conſumeretur. Cujus rei nuntius tantum doloris Georgio attulit (fuerat enim ipſi in familiariſſimis) quantum verbis declarari vix queat. Igitur quum ad corporis defatigationem animi acceſſiſſet ægritudo, velut ipſo amico jam vocante atque urgente, quem etiam ſcripto laudarat, ad certam mortem in dies properare videbatur. Nam & macies in eo ſolito grandior, & ceteræ notæ penitus incluſam morbi vim oſtendebant, quæ ad ultimum ſic erupit, ut nullum remedio locum reliquerit. Etenim quadam nocte

D quum

quum in eo eſſet, ut ſe lecto reciperet, plurimum ſanguinis ſubito ejecit. Ac proximis etiam diebus eodem morbo jactatus eſt, quamvis non ita frequenti ſputo. Verum accedente febri, tenui illa quidem, ſed quæ ipſa aſſiduitate corpuſculum ad tabem adduceret, omnis continuo eſt a Medicis abjecta ſalutis ſpes. In hoc quum menſem fere conſumpſiſſet, quoniam ultimum jam diem ſibi adeſſe intelligebat, priusquam teſtamentum faceret, miſit ad Malfattum qui nuntiaret, ſe illum pro veteri amicitia ſuis bonis, quantacumque eſſent, heredem eſſe cupere. Quam ille tam luctuoſam hereditatem quum lacrimans recuſaſſet, Chriſtinus Bevilaqua heres eſt ſcriptus.

XXVII. Secundum hæc gravior quotidie morbus eſſe cœpit, nam ex thoracis hydrope etiam animæ acceſſerat difficultas. Itaque Georgius, rebus rite compoſitis, quum illud quoque Virgilii exemplo

plo mandaſſet, ut ſcripta, quæcumque apud ſe eſſent, comburerentur; tanta conſtantia, atque animi præſentia, ut cælum identidem ſpectans unus in omnium gemitu lætari videretur, quod ſe ad multo meliora proficiſci confideret, anno trigeſimo ſecundo, pridie Idus Julias ſub occaſum Solis deceſſit. Elatus eſt autem honeſtiſſimo funere, & ſepultus ad Divi Franciſci in monumento Bevilaquarum, jubente ipſo Chriſtino Patrono ſuo. Hic quam omnibus eſſet carus, hoc maxime tempore eſt cognitum. Nam & quamdiu valetudine implicitus jacuit, univerſa civitas incredibili fuit cura, & ubi primum de ejus morte auditum eſt, is omnium ordinum extitit mœror, ut non alienum, ſed civem lugere viderentur. Etenim ita ſe perpetuo geſſerat, ut neminem læderet, prodeſſet quamplurimis.

XXVIII. Hic in deligendis amicitiis, quo quiſque eſſet animo, qua indo-

le, quo ingenio ſpectabat: genus, fortunam, veſtem haud magni faciebat. Atque ubi ſemel quempiam in amicorum numerum admiſiſſet, nefas habebat non uſquequaque ei credere. Malebat enim vel ſæpius decipi quam ſemper diffidere. Quod contra fit a pleriſque, qui propterea de aliis injurioſe ſuſpicantur, quod ipſi ſunt verſuti atque improbi. At in Georgio nullæ erant latebræ, ſimulationes nullæ, nullæ fallaciæ: omnia aperta, expoſita, plena ingenuitatis, plena candoris. Itaque illud ſuo jure uſurpabat, neminem ſibi deteriorem videri quam qui nunquam deciperetur. Nec vero non in primis operoſus atque efficax ipſius erat amor; nullum enim unquam laborem amicorum cauſſa detrectavit. Ac ſolent quidam, ſi quo in emendando ſcripro eorum judicium requiſieris, ſive pigritia ſive incuria quadam alienæ laudis, ſeu, quod turpiſſimum eſt, invidia id totum levi brachio agere. Hic autem etiam quum propriis multis

occupationibus diſtineretur, tanto ſtudio alienas excipiebat ſubibatque, ac conſulentibus adeo facilem ſe præbebat, ut otio, quum maxime egeret, unus abundare videretur. Quod ego non auditum, ſed cognitum prædico. Neque enim ſolum nunquam commiſit, ut ejus litteras deſiderarem (in quo illud me ut ipſi moleſtior eſſem cogebat, quod nulla ab eo epiſtola inanis aliqua re utili aut ſuavi veniebat); verum etiam ſæpius ita mihi præſto fuit, ut ſi non mea ſed ſua res ageretur. Idque in eo quod dicam maxime ſum expertus. Nam quum libellum de Martialis poeſi contra Serrani viri eruditiſſimi ſententiam latine exaraſſem, ipſe mihi in eo edendo diligentiſſimam operam navavit; quum autem Serranus volumen mihi regeſſiſſet, quo non Martialem modo, ſed & Lucanum & Senecam in cælum tollebat, hujus voluminis epitomen patrio ſermone ita conte-

 cit,

cit, ut & quæſtionem omnem retractando expedierit, & adverſarii argumenta funditus infirmarit. Quam ego epitomen, quæ quidem eſt in manibus (1), eo nunc impenſius non laudo, ne cauſſæ potius quam veritati videar ſuffragari. Sed harum rerum periti qui erunt legentes facile intelligent, quantum luminis inſit quantum roboris quantum etiam hilaritatis atque illius perelegantis diſſimulationis, in qua multus fuiſſe Socrates dicitur, & quæ ad evidentiam ſæpe plurimum valet. Nam Lampillæ quidem, viro alioqui doctiſſimo, facile ignoſco, quod in ea Epiſtola (2), quam contra Tiraboſchium

(1) Hæc Epitome relata eſt in XII. volumen earum Ephemeridum, quæ Mutinæ prodeunt hoc titulo: *Continuazione del Nuovo Giornale de' Letterati d' Italia*. Lege a pag. 184. ad pag. 231.

(2) Hæc eſt epiſtolæ inſcriptio: *Riſpoſta del Sig. Ab. D. Saverio Lampillas alle accuſe compilate dal Sig. Ab. Girolamo Tiraboſchi nella ſua let-*

ſehium proxime emiſit, nihil hoc ſcripto furioſius eſſe prædicet, nihil urbano homine indignius. Qui quidem quam bonus urbanitatis judex ſit, ex hac ipſa Epiſtola ſatis, ut arbitror, apparet.

XXIX. Erat igitur in Georgio, quemadmodum dicebam, ſumma in colendis amicitiis diligentia ſummaque humanitas, ut non modo nemini quidquam, quod honeſtum eſſet, denegaret, ſed quorundam etiam levitates atque ineptias incredibili alacritate exſorberet. Atque hinc facile eſt exiſtimare quam liberalis futurus fuerit, ſi æquiore fortuna uſus eſſet. Quamquam ne hæc quidem virtus ei defuit; ſi quidem non re, ſed animo metienda eſt. Nam & inſita quadam de notis ignotiſque juxta bene merendi cu-

D 4 pidi-

---

tera al Sig. Ab. N. N. intorno al Saggio Storico-Apologetico della letteratura Spagnuola. Vide p. 163.

piditate flagrabat, & ſuas copias, quantæcumque eſſent, ita amicis aperiebat, ut nihil exciperet. De iis quæ ad ſe pertinerent & ſæpe & multum loquebatur; aliena vero, quæ ſibi commiſſa eſſent, neque enim ſcrutabatur, fideliſſime reticebat. In familiaribus diſputationibus, quarum ſane ſtudioſus erat, non, ut multi faciunt, admirabilia quædam & opinioni omnium contraria ſequebatur; ſed tum quoque quod ſimillimum veri putabat, id defendebat. Quamvis autem ita eſſet in dialecticis exercitatus, ut quemvis & acumine & arte facile ſuperaret, tamen hoc tanto bono minime abutebatur: quin contra illud ſervabat, ut & refelli ſine pertinacia ſe ſineret, & refelleret ipſe ſine iracundia. Itaque haud diſcerneres, utrum in aſſentiendo an in negando eſſet blandior.

XXX. Quoties de rebus gravioribus ſcripturus eſſet, diutiſſime ſecum commen-

mentabatur: mox ubi excogitaſſet, amicorum doctiſſimos, ſed in primis Malfattum velut in conſilium adhibebat; hi ſi probaſſent, tum demum ea eodem quo cogitaſſet ordine, prope etiam eiſdem verbis pagellæ celeriter tradebat. Porro quanta in eo eſſet cupiditas cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi ex eo patet, quod Hebraicæ quoque linguæ ſtudium proxime arripuerat, in quo quum impatienti fere animo verſaretur & concitato, brevi magnos progreſſus effecerat. Qua de re ad me ſcribens his verbis uſus erat: *ad cæteras meas inſanias hæc etiam acceſſit, ut vellem hebraice diſcere*. Quæ idcirco attuli, ut ejus modeſtiam declararem: quæ etiam cauſſa fuit, cur in eo libello, quem de *Encyclopedia* conficienda ſcripſit, nomen ſuum non inſcripſerit, quod dicèret invidioſum eſſe, mediocrem quendam hominem tanti operis auctorem prædica-

dicari. Neque vero ejuſmodi erat hæc modeſtia, ut ſuperbiæ ſuſpicionem habere poſſet. Sunt enim qui ſe ipſi dedita opera uſque ad faſtidium vituperant, quo magis ab aliis extollantur. At Georgius ut ſe apud alios laudari nolebat, ita apud ſe ipſum facile patiebatur; etenim ajebat, ſe eos, a quibus præſens laudaretur, ſi præter modum id facerent, corrigere poſſe, ceteros vero non item. Se autem ſuarum rerum æquiſſimum æſtimatorem arbitrabatur. Ex quo intelligi licet, quam non eſſet ipſe aſſentator: ac poterat ſæpe falli, ut humanus; ſed nunquam non dicebat ea quæ ſentiebat.

XXXI. Lenitate in primis delectabatur, & vero ita erat natura lenis, ut quamquam illud in ore haberet, eos, qui in loco iraſci neſcirent, ad eorum numerum eſſe revocandos, qui neque ſibi neque alteri; tamen ipſe quum ferveret maxime (quod raro admodum accidebat)

vix

vix paullum ſuccenſuiſſe videretur. Itaque haud facile dixerim, utrum gratior eſſet in beneficiis memoria cuſtodiendis, an mitior in obliviſcendis injuriis. Qui quidem etiam ubi veritas pateretur, multo erat ad laudem quam ad reprehenſionem propenſior, ut in ea ipſa Epitome, de qua ſupra dixi profeſſus ſit ſe id potius ſpectaſſe, ut Tiraboſchium defenderet, quam ut Serranum incuſaret. Animo fuit adeo firmo atque invicto, ut nullis unquam rebus neque ſecundis ſit elatus, neque fractus adverſis; quumque ſuorum neminem haberet, præter unam matrem, huic ipſi morienti adeſſe potuerit, nec ullam vocem viro indignam emiſerit. Quæ tanta ejus fortitudo non tam quidem Philoſophorum libris, quam Religione confirmata, in ipſo vultu inſidebat, quem, ut de Socratico ferunt, nemo unquam turbatiorem vidit. Sacerdotis perſonam graviſſime ſuſtinuit.

Nam

Nam & elegantiam in cultu eatenus adhibebat, ut conſpici non poſſet, & cum quadam naturæ æqualitate, tum etiam judicio a feminarum conſuetudine, atque a ceteris exquiſitioribus oblectamentis abhorrebat. Quæ quidem hoc ſæculo atque hac tanta morum licentia maxime commemoranda cenſui. Neque tamen non in primis urbanitatem exercebat, ut æque ſeveritatis & levitatis notam effugeret. Jocos facetiaſque, quæ liberales eſſent atque e re ipſa orirentur, libentiſſime audiebat, ipſeque in eo genere præſertim quum ſcriberet, excellebat. Verum ſemper cavit, ne dum ingenii laudem conſequeretur, amitteret temperantiæ.

XXXII. Statura fuit juſta, corpore per quam exili, vividis oculis, ſed qui placide contuerentur, hilari facie, voce non jucundiſſima. Hujus ego laudes melius in pauca conferre non pot-

ero,

ero, quam ſi dixero, eum nulla in re unquam a vero atque a recto receſſiſſe, niſi quod ſibi minus pepercit. Itaque (quod magna molientibus ferme accidit) ante e vita migravit, quam Specimen illud ipſum, quod tantis laboribus concinnarat, typis editum videre potuerit. In quo niſi ſciremus, Dei Optimi Maximi providentia omnia adminiſtrari, jure quereremur, quod quum multi diutiſſime vivant, qui pecudum ritu vitam per otium tranſigunt; quibus ſolers ingenium ineſt atque efficax animus, ii plerumque cito exſtinguantur; quod contra illos brevi occidere, hos immortales eſſe oporteret. Ac tali profecto in numero fuit Georgius, in quo & Venetiæ honeſtiſſimum civem, & Ferraria gratiſſimum hoſpitem, & Bononienſis atque adeo Roboretana Academia clariſſimum Socium, & tota Italia egregium bonarum artium cultorem, & nos ipſi amicorum dulciſſimum amiſimus.

FINIS.

Digitized by Google

ALEXANDRI GEORGII

E T

CLEMENTINI VANNETTII

EPISTOLARUM

LIBER.

Digitized by Google



ALEXANDER GEORGIUS

CLEMENTINO VANNETTIO S. D.

I.

JAmdiu tibi, quæ tua fuit in me ignotum hominem ſingularis humanitas, litterarum aliquid & debere me cenſui, & dare ſum meditatus. Verum quum multis, neque iis quidem levioribus, negotiis premar, quæ de mea voluntate ſuſcepta vel libenter ago, vel certe conſtanter; longiuſcule rem diſtuli, quam grati animi officium ferre videatur. Nunc autem ut officii tarditatem munuſculo veluti quodam compenſem, malui latine. Quamquam vereor ut illud ve-

Digitized by Google

teris purique ſermonis nomen poſſim jure uſurpare. Noſti enim quam vere præceptum ſit latinitatis amatoribus, ne unguem quidem a ſtilo. Ego vero a calamo quidem non diſcedo, hoc inquam, quo recentes Itali utuntur; ſed ſtilum iſtum veſtrum, quo cerulas Romani notabant, abjeci prorſus. Quod quum feci, mercedi diuturnorum laborum non bene opinor conſului. Nam ſi ea lingua, quæ jamdiu intercidit, poſſumus uti commode, Latina utebar judicio eruditorum virorum non inconcinne: hanc vero, quam multi Etruſcam, ego Italicam ſoleo appellare, quam penitus ignorabam! Sed me tamen ad hanc & neſcio quæ animi propenſio abduxit, & ea ſpes fore ut noſtra, ſi qua ederemus, minus faſtidioſe a noſtris hominibus legerentur. Itaque Italice ſcribimus fortaſſe ut & ii legant, qui noſtras doctrinas non magnopere curant: at Latinum illum nitorem, ſi quis in nobis erat, amiſimus. Neque tamen hæc ſcribo, quia velim putes, nos aliquid revera fuiſſe. Nam a munditia illa tua propius certe, quam nunc, ſed longe tamen abſuimus. Id potius volo ut aliquid me tua cauſſa feciſſe arbitrere, qui quæ litteræ tibi forent gratiſſimæ, eas longo intervallo intermiſſas, ut tibi ſcriberem, revocarim. Sed jam video, quo me veterum ſtudiorum commemoratio rapuerit. Quum enim tibi ſcri-

be-

berem gratias acturus, ut par erat, jam aliena omnia pagellam occupant. Niſi ſi id ex eo oriri dicam, quod latine non poſſim quæ velim dicere; nec tam mihi ſtilus obediat, quam ego ſtilo. Quod quidem video multis accidere. Ex quo fit ut eo pluris te faciam, quem legi difficillima multa ita nitide explicantem, ita facile, ut nemo patria lingua aut uberius poſſit, aut clarius. Sed hanc tibi facultatem ſcribendi & aptiſſima quædam ſingularis ingenii vis obtulit, & diligentiſſima opera ac conſuetudo comparavit. Nos, qui ab altera non tam ſumus inſtructi, ab altera prorſus deſtituti, jam ſi quid ſcribimus, ea careamus neceſſe eſt. Ac vides quidem ut nondum tibi gratias agam; licet & habeam maximas, & id unum argumentum huic epiſtolæ conſtituerim. Tamen nihil eſt in Cicerone frequentius. Quid ſi de Terræ magnitudine ſcriberem, & difficiles Mathematicorum menſuras perſequerer? quod tu una aut altera chartula comprehendis, id mihi volumen eſſet oppido majus, quam grammaticum illud quod laudas meum. In quo quum id commendas, quod mihi ipſi placet, non mirum eſt ſi judicium tuum probo. At mehercule vere dico, quum multi in illo multa laudaverint, atque aliqui fortaſſe inepta; tu id ſane laudaſti, quod minus a laude abhorrebat. Sed quoniam noſtra & legis ipſe li-

benter, & facis ut alii legant; operam dabo, ut aliquid tibi mittam magis elaboratum, & Academia iſta veſtra dignum: in quam quum me cooptaſtis, magis me aliquid poſſe, quam aliquid feciſſe arbitratos vos eſſe certo ſcio. Urgemus itaque ad multam noctem; ſed noſti quam lente iſta progrediantur. Tute ipſe jamdiu neſcio quid in Serranum minaris, neque extricas tamen adhuc; quum ille impat ens omnino ſit, & moram hanc neque pati neque perpeti poſſit. Qui homo vero? ſemper ſcripturus numquam ſcribens, ut ipſe de ſe (1) qui cum quintili ſuperiore abſolutum opus diceret, & librarium iterum ac ſæpius juberet ſibi uni vacare, nondum abſolvit. Sed ille te exſpectat fortaſſe; quem quam velim audires quam magna de Hiſpania ſua prædicantem: a qua omnia illuſtria, omnia præclara: *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati*. Sed tu illum retundes, ſpero, quod nos non poſſumus. Jurgamur tamen ſæpe amice & facete. Sed quum ego urgeo fortaſſe minus humane, ille me diſticho repellit ex officina illa Martialis ſui. Cujus libel-

(1) Thomas Serranus Valentinus, Poeta ingenioſus, hoc diſtichon ſub effigie ſua ſcribi curaverat:

SEMPER SCRIPTVRI, NVMQVAM SCRIBENTIS IMAGO:
SERRANI VERAM QVIS NEGET EFFIGIEM?

libellos cave dixeris a Navagerio fuiſſe combuſtos. Ego vero velim Navagerii eſſe ſimilis, ut de me vere narraretur hiſtoria; non quo Martialem magnopere oderim, ſed ut Serranum meum vexatum haberem. Sed de illo tu plura in eo libro quem ſcribis. Ego illuc redeo, unde me rurſus ſermo peregrinus extruſit, ut tibi gratias agam, teque orem ut tibi perſuadeas me tibi eſſe gratiſſimum, & cum omnia velle tua cauſſa, tum ea præſtiturum quæ juſſeris. Licet enim hic Sobrinum habeas, qui & me facultate ſuperat, & ſe a me voluntate ſuperari non feret; tamen & me ſine illius injuria uti aliquando fortaſſe poteris. Quod ſi feceris, tum denique ſcito me te amici loco eſſe habiturum. Vale, etiam a Sobrino tuo, quo & libentiſſime utor, & familiariſſime. Ferrariæ III. Idus Decembres anno CIƆIƆCCLXXV.

CLEMENTINUS VANNETTIUS

ALEXANDRO GEORGIO S. D.

II.

OMnibus me officiis ultro abs te provocari video, vel potius miror. Quum enim nulla tibi mecum intercederet amicitia, nomenque adeo meum vix ſe-

mel aut iterum audiſſes ; librum, quem de grammatica inſtitutione edideras, mihi dono miſiſti. Quum autem laudaſſem quidem illum apud Malfattum, tibique, ut par erat, gratias egiſſem ; ceterum quod in animo habebam, nondum perfeciſſem, ut ad te ſcriberem ; ipſe ejuſmodi litteras ad me dediſti, ut qui eas legerit harum rerum ignarus, nihil me tibi, te mihi plurimum debere ſit putaturus. Ita in hoc quoque quas ipſe partes peragere conſtitueram, eas ſingularis humanitas tua præoccupavit. Sed tamen hactenus, ſi me amas: alioqui clamabo, me a te plane obrui. Quid enim vel in præſens, etiam ſi eſſem eloquentior, tam effuſe atque ita ornate poſſem dicere, quin benignitas tua id longe ſuperaret? Verum præclare mecum agitur, quod ita natura comparatum eſt, ut qui maxime liberalis ingenii ſunt, alioſque libentiſſime ornant, iidem ſibi agi gratias quam ægerrime patiantur. Quamobrem non agam tecum de hac re pluribus, ne quid videlicet faciam contra id, quod tua natura deſiderare videatur. Tantum illud omni tibi aſſeveratione affirmabo, me, dum vita ſuppetet, ſingulari te ſemper obſervantia atque amore, tuaque in me officia quam gratiſſima memoria proſequuturum. Ut enim cetera mittam, hoc ipſum, quod Latine ad me ſcripſiſti, & eo quidem animo, ut mihi quam maxime placeres, ejuſ-

mo-

modi eſt, ut nihil neque amantius a te excogitari, neque jucundius mihi accidere potuerit. Quid, quod tam nitide, tamque ſuaviter ſcripſiſti, ut tales litteras legens incredibili quadam voluptate perfunderer, nec umquam explerі poſſem? Vel id unum me tibi devinciat, neceſſe eſt. Quare noli, quæſo, me cogere ut tibi credam, illum Latinæ orationis nitorem, qui in te aliquando fuerit, periiſſe. Fieri enim poteſt (ne omnia negare videar, ac laborem illum agnoſcere nolle, quem in Latinis litteris longo intervallo revocandis mea cauſſa ſubieris) fieri, inquam, poteſt, ut facilius olim Latine ſcripſeris, quippe hoc efficit ſtilus quotidianus; ut vero etiam purius & elegantius, qui eſt veriſimile, quum ad iſtam munditiam (aut me omnia fallunt) nihil admodum poſſit accedere? Ego quidem, neſcio qua impellente naturæ vi, ita ab ineunte ætate Romani ſermonis amore flagrare cœpi, ut ejus ſtudium non modo numquam intermiſerim, ſed etiam præ reliquis ſtudiis quam diligentiſſime coluerim. Quod utinam omnes ſic haberent perſuaſum, ſapientiſſime quodam loco ſcripſiſſe M. Tullium, non eſſe quidem contra univerſam naturam contendendum, ſed tamen, ea conſervata, propriam naturam ſequendam eſſe; ut, etiam ſi ſint alia graviora atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra natu-

ræ regula metiamur; profecto nemo eſſet, cujus judicio meæ vigiliæ meique labores improbarentur. Ceterum, & ſi quantum in ea re tot annis profecerim, multo alios malo, quam me ipſum judicare; non ſum tamen ita cæcus (dicam enim, non tributæ mihi a te laudis refutandæ gratia, quod alii veteratoria quadam modeſtia faciunt, ſed quia plane ita ſentio) non ſum, inquam, ita cæcus, qui non videam, me, ut a tua facultate propter aſſiduam conſuetudinem non longiſſime abſim, certe ab iſta ſuavitate, & quaſi lenitate orationis eſſe quam remotiſſimum. Nihil enim, mihi crede, tuarum litterarum ſermone dulcius, nihil mollius, nec quod magis placide & æquabiliter fluat. Quo vehementius a te peto pro ea amicitia, ad quam me ultro vel muneribus invitaſti, ut Latine, quemadmodum inſtituiſti, ſæpius, vel certe quum erit commodum, ad me ſcribas, atque in hoc uno propoſitum illud Italice ſcribendi mea cauſſa non teneas. Ad quod quidem ſi idcirco deſcendiſſe te ſcirem, quia hæreſim illam ſequereris, in qua multi hodie ſunt, & maxime Gallorum amatores, nullam apud nos latinitatis poſſeſſionem jam eſſe poſſe; & remitterem te ad pulcherrimum Ferrii noſtri librum (1) &, quod

(1) Hieronymus Ferrius Rhetor Clariſſimus edidit L. Epiſtolas contra Alambertium pro uſu Linguæ Latinæ.

quod plus eſt, tuis te ſcriptis urgerem, & convincerem. Nunc quoniam intelligo, te minime quidem recentibus opinionibus favere, ſed temporibus tamen, atque hominum ſtudiis inſervire velle; cordatum, & ſapientem, ſummaque laude dignum judico. Verum, ut libere loquar, plures iſta ſapientia reperiuntur; quotus quiſque autem iſta ingenii vi, atque iſta felicitate? quum enim, ut modo dicebam, Italico ſermone tibi utendum exiſtimares, ita omnes ejus delicias, omnes veneres didiciſti, ut Florentiæ natus atque altus eſſe videare. Quid enim floridius ſtilo eo fingi poteſt, quo grammaticum illud opus conſcripſiſti? quo quidem in opere etſi nihil non probabile videatur (nam profecto ſunt omnia & excogitata utiliter, & apte diſpoſita, & elata eleganter), quum tamen ea maxime laudavi, quæ tibi quoque ipſi in primis arridebant, eſt mehercule, quod gratuler judicio meo. Utinam meliori fortuna in reperiendis huic libro emptoribus eſſem uſus! Sed horum Pædagogorum partim ignavia, partim levitate factum eſt, ut nihil proficerem. Sunt enim quidam ita veteri conſuetudini addicti, ut perſuaſum habeant, noviſſima quæque eſſe deterrima, maximeque fugienda, quorum tamen nemo eſt, quin malit jus recens, quam pridianum. Sunt alii, quibus omnis, qui in pueris erudiendis impenditur, labor,

atque

atque omnis opera moleſtiſſima eſt; quos quantum ab illa rationis tuæ ſubtilitate abhorrere oporteat, præclare intelligis. Sunt autem plures, quibus non tam voluntas deeſſet, quam indoles quædam ad hæc percipienda, ſcienterque experienda accommodata. Non mirum eſt igitur, ſi ſatis negotii habui in his binis exemplaribus extrudendis. Sed pergam dare operam, ſi quid forte confici deinde poſſit. Hoc interim ſatis habeas, quod opus tuum, ſi minus eſt avide ab ignavis Pædagogis exceptum, at mirifice a noſtris Academicis eſt probatum. Qui quidem quum de ingenio atque acumine tuo, & mehercule etiam de nativo quodam lepore ex illo judicaverint, in eorum te cœtum ſine cunctatione adſciſcendum putaverunt. Itaque non, ut tu cenſes, magis te aliquid poſſe, quam aliquid feciſſe arbitrati ſunt, ſed & præclarum ingenii ſpecimen dediſſe, & præclariora deinceps dare poſſe; quale certe futurum illud eſſe arbitror, quod in manibus habere te ſcribis; quum præſertim vel tibi, delicatiſſimi faſtidii homini, ſit placiturum. Itaque noli quærere, quam avide exſpectem. Verum tuo comodo, ſic tamen, ut ne Serranum imiteris. Serranum autem, an me? mehercule utrumque. Iſte vero non ferendus, qui quod in me vitium reprehendit, in eo ipſe deprehenditur. Sed nolim tam magna a me exſpectes, quam pro-

profecto videris; quid ſi enim *naſcetur ridiculus mus*? Verum longius progredior, quam epiſtolæ modus patiatur. Ex quo tamen intelligere potes, quantum me tuæ litteræ delectarint, quibus tam multis verbis reſponderim. Et quoniam ita benignus fuiſti, ut omnia, quæ me velle exiſtimaveris, te mihi diligenter facturum ſis pollicitus, in quo quidem numquam tibi concedam; pro certo habeas velim, nihil eſſe, quod mihi gratius facere poſſis, quam ſi ad me quum per occupationes licebit, Latinas litteras miſeris. Quod ſi facies, & officia in me tua magno cumulo augebis, & vero etiam iſtius laboris, quem mea cauſſa ſuſcepiſti, fructum quam diutiſſime conſervabis. Reliquum eſt, ut te rogem, ut Serranum lepidiſſimum plurima ſalute a me impertias, itemque Maifattum noſtrum, cujus ſuaviſſimam, atque omni humanitate maxime conditam convictionem tibi, ſi fas eſt, propemodum invideo. Nihil enim magis pertinere ad beate vivendum arbitror, quum virorum bonorum, noſtrique amantium conſuetudinem. Vale. Roboreti. XIII. Cal. Jan. MDCCLXXV.

GEOR-

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

III.

I. Vide quam tibi omnia ſecunda ſint. Quum enim & me ad Latinas ſcribendas epiſtolas provocares, & ad Ferrii noſtri librum legendum quem pro uſu linguæ latinæ ſcripſit; ſuperioribus diebus ita valetudine ſum affectus, ut, quum ſeveriora perſequi minus commode poſſem, ad hæc tamquam ad otium aliquod confugiendum mihi eſſe arbitrarer. Sed dabis mihi hanc veniam, mi Vannetti, ut miſſis Ferrii epiſtolis, quas quidem ſtatim percurri, ad ipſam potius controverſiam accedam, quam non magis Ferrius, quam univerſa Italorum gens habet cum Alambertio: quem neque Latinarum litterarum hoſtem velim putes, neque eum hominem, qui extra geometrica nihil norit: cujus ego vel judicium vel ſtilum tanti facio, ut a nullius libri lectione tantum præſidii ad recte ſcribendum, quantum ab hoc uno habere me putem. Verum nolim arbitrere me hominis auctoritati plus concedere, quam æquum ſit. Atque jam audi rem ipſam, de qua vereor, ne longius diſputem, quam epiſtolæ modus patiatur. Sed feres tamen.

II. Ineſt

II. Ineſt linguæ cuilibet *harmonia* quædam: ſic enim dici ſolet. Hanc Alambertius appellari μελῳδίαν mavult. Harmoniam ſiquidem ſonorum plurium concentum, μελῳδίαν continuati ſoni ſuavitatem in muſicis dicimus, unde hæc ſunt ſumpta; *Numerum* appellant alii: quam recte, ipſi viderint. Duæ ſunt enim res, Tullii judicio (1) quæ permulceant aures, ſonus, & numerus. Harum utramque hæc quam dicunt harmonia complectitur. Jam ne diutius hæreamus in verbis, de hac Alambertius ſermonem inſtituit, miraturque tantam a certis hominibus deprehendi in iis linguis, quas mortuas vocant, ut ex hac una in veteribus ſcriptis legendis omnibus ſuavitatibus diffluant. Hoc Græcorum amatores, Arabum etiam, ſi diis placet, Latinorum ſæpius faciunt. Atque ad Latinos maxime quod attinet, hoc Angli, hoc Galli, hoc Itali ita pronunciatione diverſi, ut in diverſas linguas tranſire cogatur eorum ore Latinus ſermo. Rideres profecto, mi Vannetti, ſi Anglum quempiam audires Virgilium recitantem:

Arma vairomche cheno Trogii chei praimos ab oreis
Aitaliam feto profiugos Levainache vinit
Littora &c.

Quod

(1) In Oratore C. XLIX. n. 163.

Quod mihi perſæpe accidit quum Carolo Plowdenio viro & nobilitate & omni eruditione ornatiſſimo ſæpiſſime uterer. Ego vero litterularum elementis vix poſſum tibi pronunciationem hanc adumbrare. Nam & acutas voces (accentiunculas voca, ſi mavis) movebat loco omnes, & hiatus quosdam aſpirationesque adhibebat, quas ne voce quidem tibi referrem. Sed hoc conſtat diverſam inter has nationes eſſe Latini ſermonis pronunciationem, atque ita diverſam, ut multo magis a veterum Romanorum pronunciatione differre putanda ſit. Fabulam hic referrem de Cardano, quam narrant, Ciceronem evocante. Jam veterum pronunciationem quum amiſerimus, harmoniam qui teneamus, interrogat Alambertius. Nec vero homo acutus & doctus interiiſſe illam omnino exiſtimat. Ipſa enim membrorum inciſorumque proportio numeroſe cadit: de quibus præcipit Craſſus tertio de Oratore, paria eſſe debere poſteriora ſuperioribus, extrema primis; aut, quod etiam eſt melius & jucundius, longiora. Hunc igitur numeroſæ orationis fontem vigere adhuc concedit Alambertius, hunc Italis Galliſque eſſe unum. Sed quam exigua hæc ſunt ad harmoniam illam, quam Cicero tantopere commendabat! Atque Alambertium, quæſo, omittamus paullisper, Tulliumque ipſum adhibeamus, cujus Oratorem velim legas

gas

gas a capite XLIII. Ego illa attulero, quæ magis in rem noſtram faciant. Agam autem vere de numero. Nam de ſono quidem dictum eſt, arbitror, ſatis. Oratorii numeri poetici ne ſint, an ex alio genere, quærit Cicero. Quid putas? nullum affirmat eſſe numerum extra poeticum. Jam de pedibus ita loquitur, ut ſi de verſuum compoſitione agerėtur. Iambos commemorat, ſpondeos, dactylos, anapæſtos, pæonas: quos ſequaris, quos fugias, docet: qui ad principia, qui ad clauſulas aptiores ſint perſequitur. Hoc idem Craſſus fecerat tertio de Oratore. Sed hic rem totam enucleat magis, nec fortaſſe omnino cum Craſſo, hoc eſt, cum ſe ipſo ſentit. Quum enim Craſſo videatur idem placere quod Ariſtoteli, ordiri ſcilicet a ſuperiore pæone, poſteriore finire; hic dichoreos aut diſpondeos videtur magis probare. Sed locum, quæſo, lege. Videbis quantum ad numerum interſit, ſpondeo ne utaris an iambo, cretico an anapæſto. At per tuam fidem quodnam eſt inter diſyllabos pedes noſtrarum aurium judicio diſcrimen? An vero tibi aliud *Pater* ſonat, aliud *Mater*? An ſentis *inſaniſti* diſpondeum eſſe, *æſtimaſti* dichoreum, quos pedes in duabus proximis clauſulis ſe conſulto uſurpaſſe Cicero notat? Brevi: numerorum noſtrorum ratio ab antiquis tota diſtat. Illi enim ſyllabas temporum

[library stamp]

intervallis metiebantur, ut alia longior eſſet, alia brevior: nec minimo quidem ſpiritu aut producere illas licebat, aut corripere. Multitudo (utor enim fere Tullii verbis) pedes non noverat, nec ullos numeros tenebat. In verſu tamen tota theatra exclamabant ſi fuiſſet una ſyllaba longior vel brevior. Hoc ipſum multis poſt ſæculis ſentiebatur. Interrogat enim Auguſtinus, libro, opinor, de Anima, hominem quemdam non eruditum, an numeroſe iſtuc cadat? *Arma virumque cano Trojæ qui primis ab oris*. ille negat. Tum germano Virgilii verſu reſtituto, idem quærit: affirmat. Sed iſte pronunciandi modus, qui intervalla diſtinguere ac percutere noverat, jamdiu intercidit. Nos in omni verbo acutam vocem habemus unam: atque in Latinis quidem, ut pronunciare mos eſt, nec in poſtrema ſyllaba umquam, nec a poſtrema trans tertiam. Quod reprehendebat Plovvdenius meus, quum alteram acuerem in *omnipotens*: quaſi enim, ajebat, longa ſit. Ipſi autem ſic pronunciant ut in *o* morentur diutius, atqne hanc ſyllabam a reliquis diſtrahant, quas ſine ulla acuta voce pronunciant: *oo-mnipotens*. Sed homo doctus minus attenderat longe diverſam temporum, acutarumque vocum eſſe rationem. Quod in græcis manifeſtum eſt. Quamquam non negaverim ipſi quam acuas ſyllabæ addi tem-

po-

poris aliquid. Verum quamcumque pronunciationem ſequaris, in hoc incides: quum omnis veterum numerus variis temporum intervallis conſtaret, ut, quod fit in muſicis, *minimæ* quas vocant apte *ſemiminimis* miſcerentur; noſter numerus ſola acutarum vocum apta collocatione continetur; quo in verſibus, quid clarius? Quamobrem vide, quam non eum numerum in Cicerone audiamus, quem audiebant olim Quirites.

III. Jamne igitur Latina lingua funditus periit quod veterum numerum amiſerimus? Hoc neque ego dixerim, neque ait Alambertius. Sed quoniam me delicatiſſimi faſtidii hominem vocas, ſcito me in Italica lingua, quam arbitror callere me magis quam Latinam, aures habere in numeris faſtidioſiſſimas. Quod niſi vocabula meo arbitrio vel imminuere una ſyllaba poſſem vel augere, ita ut acutæ voces altera alteri magis minuſve accederent, prout aurium voluptas poſtulat, ſæpe cogerer minus proprie dicere ut dicerem numeroſe. Ac neſcio, an omnium ego auribus ſatisfaciam. Illud ſcio, non omnes ſatisfacere meis. Quod quum dico, etiam quoſdam primarum partium ſcriptores intelligo. Putas ne igitur me illud mihi ſumere, ut quum Latine ſcribo, Ciceronis auribus orationem meam probem? quem, puto, hi duo ipſi iambi offenderent.

 Sed

Sed hoc jam periculum longe abeſt. Ego enim nolo illum evocare: neque, id ſi liceret, vellem illi meas nugas ingerere. Itaque latine quæ ſcribimus, ſatis eſt, ſi probemus Latinitatis amatoribus, qui nobis æquos ſe præbeant neceſſe eſt, quum in eadem navi ſint. Atque ego quidem arbitror ineſſe revera Latinæ linguæ numerum quemdam noſtro ſimilem ex acutarum vocum diſtantia ortum, quem nos ſequimur conſuetudine ducti, auriumque impotentia: qui ſi in noſtris ſcriptis eſt, nobis plaudimus; ſi in alienis deeſt, illos reprehendimus: uno verbo Latinæ linguæ, ut multa fortaſſe alia, ita Italicum numerum aptamus. Sed ego libenter conceſſero, ita etiam linguam hanc numeroſam eſſe, modo ne more veteri ac Romano. Fateberis autem, opinor, ſi omnem hanc cauſſam egero, plura nos in Latina lingua immutaſſe ſimiliter. Sed hodie ſatis. Alia Alamberti argumenta perſequar fortaſſe alias. Interim me ama, & vale., Idibus Januariis.

IV. Perſequar autem quoniam & otium & pagella ſuppetit his ipſis litteris, & concludam ſi potero. Nam hæc de numero quæſtio ad Latinitatem hanc, qua nunc gloriamur, examinandam induxit philoſophum hominem, qui non gratuito Litteratoribus indulgeret. Audi vero quam non

geo-

geometrice agat, hoc eſt, quam humane: quem ego ſequor non quaſi interpretans, ſed ut vel ea, quæ mihi magis probantur, exponam vel addam etiam aliquando mea. Gallicam linguam fere omnes norunt externæ nationes: libris utimur quamplurimis hoc ſermone exaratis: λεξικὰ habemus lectiſſima ab iis viris conſcripta, qui linguam & nativam, & a ſe magnopere excultam in primis callerent. Ad hæc magiſtros audimus ex ea gente non ſæpe doctos, ſed aliquando tamen. Quotus vero quiſque Italorum eſt, qui ita Gallice ſcribat, ut Alambertii, ut Ruſſoii, ut Voltærii faſtidium nón reformidet? De me tibi fateor: quum ita gallice ſciam, ut fortaſſe latine non magis, ſcripſi aliquando hac lingua ad Anglos, ad Gallos ſcribam profecto numquam. Nolo enim ab iis irrideri. An vero putas, majora nos præſidia ad latine ſcribendum habere? immo vero multo minora. Nam profecto & λεξικὰ deſunt ab iis lucubrata, qui auctores eſſe poſſint, & Magiſtri, qui linguam cum lacte ſuxerint. Vides quam interſit. Sed unum urget Alambertius: quid quoque vocabulo proprie, &, ut ita dicam, private ſignificandum ſit, nos ſcire non poſſe. Neque vero ille putat, nos in vocabulorum uſu longiſſime a vero aberrare. Sed in eo eſt ſtili munditia ac caſtitas,

ut quum multa vocabula proximum fere uſum habeant, tu eo utaris, quod ad rem tuam facit opportuniſſime. Qua in re multa in pleriſque Italorum Scriptorum deſidero, nonnulla in ſummis: adhibent enim ſæpe vocem veræ proximam, ſed ego veram ipſam quæro. Quæro autem in Latinis etiam, ſi vis: ſed jubeo ſæpe meipſum eſſe ſecuro animo, nec diutius fruſtra me torqueo. Qui enim fieri poteſt, ut, quod in nativa lingua difficillimum eſt, in exſtincta omnium vocum non propinquitatem quamdam, ut ita dicam, ſed veritatem ipſam aſſequaris? Multas animi perturbationes diſtinguit Cicero in Tuſculanis. In his *mœrorem*, *dolorem*, *luctum*, *ærumnam*, *afflictationem*. Amabo te, mi Vannetti, niſi forte locum habes in mente, *afflictatio*, *ærumna*, hæc duo, in quo conveniunt inter ſeſe, in quo diſcrepant? *Et eris mihi magnus Apollo*. Id reperies in Tullio. Sed quam multæ voces, ut hæ ipſæ, & proximæ ſunt, & tamen diverſæ: quam paucas in optimis auctoribus diſtinctas invenies. Uteris igitur ſæpe perverſe: ſic enim neceſſe eſt. Uno verbo *συνώνυμα* multa ſunt: non ut pueri putant, quum verſus cudunt, ut promiſcue uti poſſis, ſed immo ita ut hoc delectu maxime ſtili proprietas ac veritas conſtet. Quod aliquando factu proclive eſſe ajo,

fieri

fieri ſemper poſſe nego. Ac vere quidem mihi videtur Alambertius dicere, ſi forte Tullii quemdam librum erui contingeret, qui Συνώνυμα inſcriberetur, illius ſimilem, quem Giraudius ſcripſit linguæ gallicæ optime meritus, infinitas turbas inter grammaticos excitatum iri. Nec dubito ſane, quin tuas Epiſtolas, mi Vannetti, quas ego maxime Latinas prædico, in multis tamen reprehenderem: meas, ſi quas habeo, lacerarem ſane omnes. Noſti igitur quid ſentiam: veritatem in vocibus aſſequi nos ſæpe non poſſe. Sed quid cetera? An enim ſi quis latinis vocibus proprie utitur, is latine ſcribere dicendus eſt? At habet ſuum quæque lingua ambitum, non illum dico, quem περίοδον rhetores vocant, ſed propriam quamdam enunciandarum cogitationum vim, ordinem, complexionem: quam video non eſſe in me eamdem, quam in Tullio; tua pace dixerim, neque in te: addam, neque in Manutio meo, Paullum dico Aldi filium, cujus ſi non anima Latina fuit, nulla certe apud nos umquam fuit. Externos homines latine ſcribentes reprehendimus ſæpe: in quo faſtidium noſtrum eſt fortaſſe æquo majus. An vero quod a veteri, an quod a noſtra latinitate recedant? Quid ſi dixerim, quod a noſtra? Nos enim in Latinam linguam Italam cogitandi rationem in-

ducimus, Galli ſuam. Ac fortaſſe quum videmur Latinum ingenium deſiderare, Italum deſideramus. Neque hoc ſumpſi ex Alambertio: qualecumque eſt, meum eſt. Arbitror autem eſſe veriſimile. Reliquum eſſet ut de Terentii imitatione ſcriberem; de qua Ferrius tam multa. Sed tu ſane is non es, qui eo auctore abutaris, ut plerique faciunt. Nam ego Terentium exſcripſero etiam, quum Latinas comœdias ſcripſero: quod faciam profecto nunquam. At in Epiſtolis, in Orationibus, ceteriſque ejuſdem generis nihil Terentianum volo, nihil Plautinum: quod idem Serrano placet. A Cicerone abero quam qui maxime: ſed hunc tamen ſequor. De tota controverſia quid ſentiam, tenes. A veteri Latina lingua & numero abſumus, & vocum veritate, & ambitu: de quo mihi dubitare non licet. Sed alius nobis numerus eſt, alius ambitus, alia etiam vocum veritas. Hæc qui aſſequatur, dicitur perbelle ſcribere. Scribit autem re ipſa, ſed hoc ſermone, quem nunc aut reliquum habemus, aut nobis ipſi confinximus. Sed illud quæri poteſt, an operæ pretium ſit huic adeo impenſe vacare, qui tantum abeſt a vero. Nam ego quidem Italica lingua & excellere malo, & me poſſe confido. Alii, nec vero te dico, ſed alii tamen, quum hoc non ſperent, & judices re-

reformident aut plures, aut certe rei peritiores, ad illum ſermonem ſe conferunt, de quo non vehementer timent quid nos judicemus. At qui homines plerumque! qui nihil aliud calleant, quam hanc ipſam linguam ut poſſunt; auditorumque aures inani verborum ſono quum verberaverint, nihil ad doctrinam afferant, nihil ad delectationem: ut ſi Italice dicerent, ſtare omnino non poſſent. Sed rurſus volo te monitum: horum loco te minime habeo, quem neque a Latinis litteris volo abducere, & ad Italas tamen ſequendas etiam atque etiam hortor, ad quas iſto ingenio & uberius proficies & verius. Vale etiam a Malfatto noſtro, qui *& ſapit, & mecum facit, & Jove juſticat æquo*. XI. Cal. Febr. anno MDCCLXXVI.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

IV.

Quod contra Latinitatis uſum epiſtola optime latine ſcripta diſſeruiſti, idem mihi viſus es facere, quod ii, qui ſumma eloquentiæ laude eloquentiam ipſam vituperant. Ego vero, quoniam ita jubes, Ferrii noſtri librum jam non urgebo; nec tamen ipſe Latinitatis cauſſam his litteris agam,

niſi

niſi leviter admodum ac perfunctorie. Alios homines poſcit hæc res, & cum multa doctrina inſtructos, tum ingenioſos, atque in diſputando exercitatos. Me & virium mearum imbecillitas, & rationis tuæ acumen deterret, ſic, ut non multum intereſſe arbitrer, tecum, an cum ipſo Alambertio ſit agendum; niſi quod tu ingenii acie nequaquam ei cedis, Latinæ linguæ cognitione etiam longe antecellis. Vidi enim paucis ante annis Epiſtolam ejus quamdam in Romanas Ephemerides relatam, quam ad Antonium Buccium Faventinum Juriſconſultum Latine eo conſilio ſcripſerat, ut homini ejus ſermonis peritiſſimo hoc quoque nomine placeret. Qua quidem in epiſtola nullum latinitatis veſtigium erat, quædam etiam inſignia peccata. Certe inſcripſerat, *Vir Excellentiſſime*, ſubſcripſeratque, *Tui ſtudioſiſſimo &c. Joanni d' Alambert*; & quod turpius eſt, *gratias referre* dixerat pro *agere*, & *X. Cal. Dec. anni MDCCLXXII.* pro *anno*. Itaque tunc memini me dicere, ſi omnes Alambertio eſſent ſimiles, non utique dubium eſſe, quin, ut ipſe jactaret, nulla apud nos ſupereſſet Latinæ orationis proprietas. Quamquam proprietatem ſecundo loco, primo vero pronunciationem nobis Philoſophus opponit, quem tu ſequutus, tertium ambitum addidiſti.

II. Ad

II. Ad pronunciationem quod attinet, incerta, fateor, atque obſcura res eſt, de qua quum a doctiſſimis hominibus diligenter (1), nec tamen explorate ſcriptum ſit, plura dicere ſi velim, merito vaniſſimus habear. Illud quidem non prætermittam, omnium, qui apud Italos Latini ſermonis periti ſunt, conſenſu, harmoniam quamdam in Latinis hac utique potius quam illa compoſitione exſiſtere atque exaudiri, quam & ipſi omni cura ac diligentia in ſcribendo ſubſequantur. Nec tu profecto, ſi ex animo loqui voles, diffiteberis, te, ſive antiquos ſive recentes Latinos legas, certa quadam verborum comprehenſione permulceri; quam ſi diſſolvas ac mutes, immo ſi vocem unam loco moveas, omnem illico harmoniam perire ſentias. At enim errore quodam hoc accidit Latinam harmoniam Italæ aptantium, ſi quidem etiam exteræ nationes, atque ipſi *toto orbe diviſi* Britanni parem voluptatem e Latinorum lectione percipiunt. Atqui ſic exiſtimo, non eamdem hac in re ceterarum gentium & noſtram eſſe rationem, nec illas nobiſcum debere comparari. Nam etſi non modo Italica, ſed & Gallica & Hiſpanica lingua e Latina, tamquam ex

(1) Videndus in primis Scioppius in Grammatica, etiam Deſid. Eraſmus in dialogo de Pronunciatione.

ex uberrimo fonte, profluxerint; matri tamen ſimilior, quam Italica, confeſſione omnium eſt nulla. Ut igitur nihil liqueat, certe veri ſimile ſequi licet. Quid autem veri ſimilius, quam nos ad veteres Latinos, ut ſermone, ſic etiam pronunciatione omnium proxime accedere, ob eamque cauſſam aures noſtras Latinæ harmoniæ maxime eſſe aptas, neque decipi item ut externas? Illud quidem pati non poſſum, ut etiam Angli nobiſcum conferantur, quorum lingua quid durius fingi poteſt, quid aſperius, quid magis a Latino & noſtro ſermone alienum? Præclarum ſcilicet correctorem tuum narras Plovvdenium, qui vel *oo-mnipotens* Anglice pronuncians, ex una duas longas faciebat. *Crimine ab uno diſce omnes*, ut ille ait. Enimvero non diſſimile eſt quod in muſicis accidere videmus. Suis quæque natio peculiaribus modis delectatur, eoſque errore quodam, quem conſuetudo confirmavit, optimos putat. Itaque, ut breve faciam, nec Germanicos aut Gallicos noſtræ aures probant, nec Germanorum Gallorumque vulgus noſtris delectatur. Quid ergo? æquene omnes in errore verſantur? omnes, præter Italos, quorum modi, quamvis apud alienos multitudini non placeant, omnium tamen optimi & ſunt revera, & etiam ab externarum gentium peritis exiſtimantur. Sic & in La-

tina

tina, pronunciatione, quum omnes nationes ejus ſimilitudinem ſibi vindicent, ipſa tamen ratione cogimur ut credamus, quæcumque ejus rei reliquiæ ſint, apud illos certe potiſſimum eſſe oportere, qui & eaſdem, quas Latini, ſedes incolant, & ſermone utantur eo, quo nullus Latino ſimilior. Equidem ſine dubitatione contenderim, hominem Anglum (dicam enim exempli cauſſa quod etiam de aliis gentibus intelligi poſſit) ſi Italice loqui, ac more noſtro Latina pronunciare idonea ætate condiſcat, patriam illam pronunciationem, ut abſurdam ac barbaram, omnino repudiaturum. Verumtamen ii nos non ſumus, qui ſcripta Latino ſono recitare poſtulemus; tantum æquum putamus, ut ab eo minime aberrare exiſtimemur. Itaque bene factum, quod neque tu, neque ipſe Alambertius tantum germanæ pronunciationi tribuatis, ut nullam ſine ea latinitatem eſſe poſſe judicetis. Ita etiam Paullo Manutio videbatur, quem tu merito maximi facis, qui recte ajebat, (1) ne in iis quidem ipſis, qui, Latina lingua vigente, Romæ atque in Italia vivebant, eandem pronunciandi rationem fuiſſe; quod hodieque in noſtris fieri videmus

(1) Vide ejus Præfationem ad Commentaria in Epiſtolas M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum.

mus, ut alium Tridenti, alium Veronæ, alium alibi, planeque diverſum ſonum audiamus. Qua re affirmabat, ſe de pronunciatione minimum laborare.

III. De quo igitur laborandum eſt, quid ſpeſtandum Latine his temporibus ſcribenti? id ipſum ſcilicet, ut Latine, hoc eſt, pure ſcribat. Rem totam Cicero ipſe definit quum ait (1) *Videndum eſſe, ut & verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat; & ea ſic caſibus & temporibus & genere & numero conſervemus, ut ne quid perturbatum ac diſcrepans aut præpoſterum ſit*. Quod enim de verbis iis efferendis ait, quæ nemo jure reprehendat, id duobus modis intelligendum eſt, ut nec barbaris vocibus utamur, aut latinas corrumpamus, in quo eſt Barbariſmus; & ad declarandum quod volumus maxime idoneas ſeligamus, quod niſi facimus, contra proprietatem peccamus. Quod autem monet de conſervandis caſibus ac temporibus, ad Solœciſmum referri debet. Ita ſi tria hæc vitia vitarimus, Solœciſmum, Barbariſmum, Improprium; Latine ſcribemus (2). Ac duo qui-

(1) Libro III. de Oratore c. XI.

(2) Videndus etiam Auctor Rhetoricorum ad C. Herennium Lib. IV. ſub initium.

quidem priora qua ratione effugiamus, vel a prima ætate in arte grammatica diſcimus. In tertium vero, ſi vobis credimus, fere ſemper incurrimus. Etenim, inquis, & λεξικὰ deſunt ab iis lucubrata qui auctores eſſe poſſint, & Magiſtri qui linguam cum lacte ſuxerint. Ergo mihi probatur, multo difficillimam, ac laboris pleniſſimam eſſe proprietatis comparationem; non tamen ita à nobis remotam, ut nulla ratione ad eam pervenire poſſimus. Λεξικὰ non habemus ab ipſis Latinis confecta: at habemus antiquorum Grammaticorum tot reliquias, ut ſi omnes in unum conferantur, magni cujuſdam λεξικοῦ inſtar eſſe poſſint. Mitto Varrones, Feſtos, Marcellinos, Cariſios, Victorinos; Scauros, Priſcianos, alioſque complures, quorum qui ſuperſunt libri, magno uſui ſunt; quam multa de vocabulorum vi & proprietate apud Gellium diſputantur; quam multa apud Macrobium! Totus eſt in hoc genere & Servius, totus Donatus, totus Aſconius, vetereſque Interpretes. Quædam etiam in aliarum rerum ſcriptoribus, & præſertim in Tullio & Quintiliano huc pertinentia paſſim reperiuntur, ſic, ut illa ipſa, quæ ab aliis quoque ſcripta infeliciter perierunt, rurſus aliorum opera nobis demonſtrentur. Quid porro dicam, quanto ſtudio, quanta diligentia, quantis laboribus hos

ipſos

ipſos veterum Grammaticorum libros doctiſſimi cujuſque gentis homines poſtremis hiſce ætatibus illuſtrarint? Plenæ ſunt litteratorum domus, plenæ Bibliothecæ eruditiſſimis ejuſmodi Commentariis. Quo in genere neque Auſonii liber de differentiis verborum & de antiqua Conſtructione eſt contemnendus, & novum Forcellinii λεξικόν judicio omnium excellit (1). Quæ quidem cogitanti mihi, in mentem venit dubitare, an in hac ipſa, qua utimur, lingua tot adjumenta a Grammaticis ad aſſequendam verborum proprietatem habeamus. Profecto enim non æque multi exſtiterunt, qui vel de Italica lingua ſcriberent, vel veteres ejus Auctores enarrarent. Quid, quod adhuc ejuſmodi λεξικόν deſideramus, quod in ſuo genere hujus Forcelliniani, de quo dicebam, ubertatem atque abſolutionem æmuletur? Hæc autem non ideo a me dicuntur, quod exiſtimem, facilius eſſe nobis Latinam quam Italicam proprietatem in ſcribendo conſequi; ſed quia duo probare mihi videntur, primum, varias verborum ſignificationes & differentias in iis linguis, quæ vigeant, atque adeo vel in

(1) Videndæ Florentinæ Ephemerides, quæ anno MDCCLXXIV. prodierunt, Num. XLVIII.

in nativa quæri oportere nihilominus, quam in iis, quæ extinctæ dicantur, quod eo fit, quia in unaquaque lingua idem vocabulum, quod fere ſimplici intellectu vulgo uſurpatur, in alios atque alios ſenſus ab Auctoribus transſertur; deinde tanta nobis in Latino ſermone tum ab antiquis, tum a recentibus Grammaticis parata eſſe ſubſidia, ut quæ ſit cujuſque vocis poteſtas, qui uſus, ſæpe etiam quæ origo, ſi diligentius attendere voluerimus, ignorare non poſſimus. Quid multa? tantum a proprietatis ignoratione profecto abſumus, ut etiam ad ſupervacuam ſubtilitatem progrediamur; quaſdam enim vocabulorum differentias e Grammaticis novimus, quas confuetudo elegans Latini ſermonis aut raro ſervat, aut etiam plane confundit. Ex quo quidem intelligitur, eum, qui latine velit ſcribere, non modo quæ Grammatici tradant, qui ſunt ſæpe religioſiores, atque acutiores, quam ſat eſt, verum etiam quibus, & quomodo Eruditi utantur, cognoſcere oportere.

IV. Hic vero (non enim de pronunciatione nunc agitur) quid tantum adiumenti afferrent hi Magiſtri, qui Latinam linguam cum lacte ſuxiſſent, quos tu inculcas, ut quum illis careamus, haud paullum de profectu nobis detrahi exiſtimemus? Quid enim agunt iſti ipſi Magiſtri, quibus in Italica,

aut Gallica lingua utimur? non ne ſimul ac grammaticis quibuſdam præceptis nos imbuerunt, quibus inſtructi noſtra ipſi ſponte ulterius procedere, &, ut in proverbio eſt, nare ſine cortice poſſimus, ad veterum Auctorum, eorumque Interpretum, & Grammaticorum libros remittunt? quis enim eorum ſit tam impudens, qui linguæ, cujus elementa tradat, proprietatem ſe melius noſſe, quam illos ipſos, qui ejus Parentum nomen obtineant, profiteatur? Itaque nobis non ſua jam ingerunt, ſed auctorem aliquem præcellentem evolvendum præſcribunt, tum ita, ut quiſque erit ei auctori ſimillimus. Idem plane in Latinis Magiſtris eveniret. Explicatis enim latinitatis principiis, his ſcilicet, quæ etiam a noſtris Præceptoribus accuratiſſime traduntur, quod ad ſermonis uſum, & proprietatem attinet, ſi quidem ſaperent, veterum ſcriptorum optimos nobis in manus darent, noſque in eorum orationem diligenter atque aſſidue intueri juberent; fateri quippe cogerentur, hos demum veros, ac perennes eſſe fontes, unde omnis ſcribendi elegantia derivatur. Quid? an ignoramus, id apud ipſos Latinos, etiam aurea, atque argentea ætate, in more fuiſſe poſitum, ut qui patrii ſermonis proprietati ſtuderent, in antiquorum Auctorum lectione diu noctuque verſarentur? *Omnis*,

in-

inquit Tullius (1) *loquendi elegantia, quamquam expolitur ſcientia litterarum, tamen augetur legendis Oratoribus, & Poetis. Sunt autem illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes prope præclare loquuti: quorum ſermoni aſſueſacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, niſi Latine*. Et ſane quum Romam, ut idem Tullius narrat in Bruto (2), multi inquinate loquentes ex diverſis locis confluxiſſent, uſque adeo corruptus erat vulgi ſermo, ut nemo bene latine loqueretur, niſi qui aut domeſtica quadam conſuetudine puro ſermone aſſuefactus eſſet, aut in veteribus ſcriptis ſtudioſe, & multum volutatus. Itaque intelligere licet ex eo ipſo libro, cujus ego lectione numquam expleri poſſum, Latini ſermonis laude paucos Oratores ob negligentiam præſtitiſſe: (3) in iis autem, qui præſtiterint, earum rerum, quas dixi, alterutram certe fuiſſe (4). Hinc narrans Cicero (5) Cajum Scribonium Curionem in primis Oratoribus eſſe habitum, *quia ſplendidioribus fortaſſe verbis utebatur*: & *quia latine non peſſime loquebatur*, adiungit: *uſu, credo, aliquo domeſtico*, nam.

C 2

(1) Lib. III. de Oratore C. X. (2) C. LXXIV. (3) C. XXXV. (4) C. XXXVII. (5) C. LVIII.

nam litterarum admodum nihil ſciebat; idque paullo poſt (1) etiam planius explicat hoc modo: *Similiter igitur ſuſpicor, Curionis patrio fuiſſe inſtituto, puro ſermone aſſuefactam domum; & eo magis hoc judico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi, in omni genere boneſtarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poetam noverat, nullum legerat oratorem &c.* Dubium tamen non eſt, quin plus multo ad bene dicendum, beneque ſcribendum valuerint ratio, & litteræ, atque optimorum Scriptorum evolutio, (quæ omnia nobis cum Latinis ſunt communia), quam vel optima domeſtica conſuetudo. Cæſar omnium fere Oratorum Latine loquebatur elegantiſſime. Num ergo id ſolum hac conſuetudine? Non, *ſed* (ut ait ex Attici perſona Tullius (2)) *quamquam id quoque credo fuiſſe, tamen ut eſſet perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris, & iis quidem reconditis, & exquiſitis, ſummoque ſtudio, & diligentia eſt conſequutus*. Verum Cæſarem mitto, qui etſi non eſt, niſi multis litteris elegantiæ perfectionem aſſequutus, ejus tamen ſolum, & quaſi fundamentum uſum domeſticum habuit; alios Ora-

tores

(1) C. LIX. (2) C. LXXII.

tores cognovimus, & pleroſque quidem, nullo patrio inſtituto, ſtudio tantum & diligentia ad Latine loquendi laudem perveniſſe. Itaque recte concludere poſſumus, lectionem & ſtudium etiam ſine domeſtica conſuetudine, quæ apud nos eſſe non poteſt, ſatis adiumentorum ad Latinam proprietatem conſequendam ſuppeditare.

V. Cæleſtis quidem vir M. Fabius Quintilianus quum quorumdam ætatis ſuæ vitium noſſet, qui circulatoriæ in dicendo volubilitatis ſtudioſi, collecta, ut ipſe ait, quæ idem ſignificarent vocabula ediſcebant, ex quibus ſine diſcrimine proximum quodque occuparent; quumque id ut puerile, & cujuſdam infelicis operæ non ſolum improbaret, ſed etiam tollere cuperet; toto eo capite, quod eſt primum libri decimi, nihil aliud egit, ut tu optime noſti, niſi lectionis ad verborum præſertim delectum utilitatem explicavit, ejuſdemque rationem, ſuaque de Auctoribus judicia patefecit. Quo in capite notatu hæc digna ſunt maxime: *Nobis autem copia cum judicio paranda eſt, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem ſpectantibus. Id autem conſequemur optima legendo, atque audiendo ... omnia verba ... ſunt alicubi optima .... Hæc ut ſciamus; atque eorum non ſignificationem modo, ſed formas etiam, menſuraſque norimus,*

 ut,

[library stamp]

ut, ubicumque erunt poſita, conveniant, niſi multa lectione, atque auditione aſſequi non poſſumus .... ſunt autem alia hujus naturæ, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil ſignificationis, quo potius utaris, interſit: ut ENSIS, *&* GLADIUS. *Alia, quæ etiam ſi propria rerum aliquarum ſint nomina,* τροπικῶς *tamen ad eundem intellectum feruntur, ut* FERRUM, *&* MUCRO. *Nam per abuſionem* SICARIOS *etiam omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiſerint. Alia circuitu verborum plurium oſtendimus ...... Plurima vero mutatione figuramus,* SCIO, NON IGNORO, *&* NON ME FUGIT ... *Sed etiam ex proximo mutuari licet. Nam &* INTELLIGO, *&* SENTIO, *&* VIDEO, *ſæpe idem valent quod* SCIO. *Quorum nobis ubertatem, ac divitias dabit lectio. ut his non ſolum quomodo occurrerint, ſed etiam quomodo oporteat, utâmur.* At enim Quintilianus cum lectione auditionem Oratorum conjungit, qua nos caremus. Ergo, quod vel centies repetam, plus nobis eſt operis, & auditionis damnum duplicato lectionis labore compenſandum. Attamen lectionem & ſolam aliquando ponit, ut poſtremo loco: *Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio*, & numquam non ante auditionem, ut illi ſe primas deferre ſatis oſtendat. Etſi quid iſtis opus eſt? nonne idem ipſe ita poſtea profitetur? *In lectio-*

[illegible]e certius judicium: quod audienti frequenter aut ſuus cuique favor, aut ille faventium clamor extorquet . . . lectio libera eſt, nec actionis impetu tranſcurrit: ſed repetere ſæpius licet, ſive dubites, ſive memoriæ penitus affigere velis. Repetamus autem, & tractemus, & ut cibos manſos, ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur; ita lectio non cruda, ſed multa iteratione mollita, & velut confecta memoriæ, imitationique tradatur. Quibus ita confirmatis, nemo, opinor, allatum illum Ciceronis e tertio de Oratore locum in nos retorquere audebit, quod ibi eorum ſcriptorum lectio commendetur, quorum vel nullæ, vel prope nullæ ſuperſint reliquiæ. Quid enim? priſcos illos Latinitatis auctores non habemus, licet e XII. Tabulis, e Columna Roſtrata Caji Duilii, ex Nævii, Ennii, Accii, aliorumque fragmentis, tum ex Plauti Fabulis, qui fuerit illarum ætatum ſermo, cognoſcere poſſimus. Sed tamen, ut dicebam, priſcis illis Auctoribus caremus, quos præclare loquutos teſtatur Cicero. At contra habemus alios bene multos & Philoſophos & Poetas, & Oratores, & Hiſtoricos, qui non modo æque, atque illi, bene ſcripſerunt, verum etiam, ſi quid erat in illis paullo durius & ruſticius, mollierunt, expolieruntve, atque adeo patriam lin-

linguam locupletarunt, planeque ad perfectionem adduxerunt. Hi demum igitur ſunt Magiſtri, quos quotidie audimus, quos aſſidue conſulimus, in quos diligenter inſpicimus, qui nec latum unguem a nobis diſcedunt. Quod ne innumeris quidem vetuſtis Romanis contigit, id nobis largitur ſors, ut cum eodem illo Cicerone familiariſſime verſemur, qui omnes ante & poſt ſe ſcriptores cum linguæ Latinæ ſubtilitate, tum eloquentia ſuperavit; cujus libros ſi Marcus Antonius Triumviri avus, ut de aliis antiquioribus taceam, legere potuiſſet, næ ille multo diligentius Latine loquutus eſſet. Quintilianum ſuperius laudavi, nec vero perſuadere mihi poſſum, quemquam, qui divinum ejus opus ſtudioſe conſiderarit, non ſic exiſtimaturum, tanta hunc cura, tanto acumine, tantaque diligentia circa minimas quaſque non oratorii modo artificii, verum etiam lectionis, ſcriptioniſve partes morari, eaque omnia ita enucleare, ut non multo plus diſcenti viva latini Magiſtri vox profutura eſſe videatur. Si igitur, ut ipſe nos Cicero docet, omnis ſermonis elegantia, quæ ex verborum delectu maxime naſcitur (delectum autem ſine accurata proprietatis cognitione habere nemo poteſt) ſi, inquam, omnis ſermonis elegantia legendis potiſſimum optimis Scriptoribus comparatur, & ſi,
ut

ut idem ait, *horum ſermoni aſſuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, niſi Latine*; erit etiam qui putet, nos, quum & longiſſime abſimus ab eo periculo, ne prava male Latine loquentis vulgi conſuetudine corrumpamur, & eos Auctores diu noctuque verſemus, qui in ſuo quiſque genere cum ingenii & doctrinæ, tum puræ Latinitatis laudem adepti ſunt; & id ſtudioſiſſime agamus, ut horum ſermonem, cujus elegantias utique penitus intelligimus, nam & in ipſis Auctoribus æſtimandis cum veterum judicio conſentimus, graphice imitemur; adeo tamen propoſitum non aſſequi, ut etiam pleraque omnia improprie, barbareque efferamus?

VI. At enim parum refert, hanc proprietatem in noſtris litteris reperiri, niſi adſit etiam ille ambitus, quem Latina lingua, ut quævis alia, peculiarem habet: recte hoc quidem. Nos autem externos homines Latine ſcribentes in juria reprehendimus, quum & ipſi idem peccemus, Italum ambitum, atque Italam cogitandi rationem in Latinam linguam inducendo; hoc vero non item. Quid? uſque adeone hebetes, ac cæci ſumus, ut vetera Latina ſcripta cum recentibus conferentes, quæ nam ipſo ambitu propius ad illa accedant, diſpicere nequeamus? Legatur enim paullíſper Germanus aliquis, qui Latine ſcripſerit,

rit, mox Italus, deinde Latinus, tum fiat judicium. Equidem nullus dubito, quin Germanum, vel Ariſtarcho judice, ſuperaturus ſit Italus. Cujus rei ratio ex iis repetenda eſt, quæ de Latinæ linguæ cum Italica affinitate ſuperius dicta ſunt; quæ quidem affinitas multo etiam plus ad ambitus, quam ad pronunciationis ſimilitudinem ſine dubio valet. Quis ignorat, quanta Græcæ, Latinæque linguæ ſit cognatio? tanta profecto, ut Macrobius dicat, qui utramvis didicerit pæne ambas noſſe. Atqui manifeſte perſpicuum eſt, multo arctiorem cum Latina eſſe Italæ, quippe quæ non modo ab ea originem duxerit, verum etiam, ut quidam docti viri oſtenderunt, (1) in vulgus invaluerit jam ab illo tempore, quum in doctiorum ore latina adhuc eſſet. Itaque recte Manutius noſter in Proœmio ad commentaria in Epiſtolas ad M. Junium Brutum, & ad Q. Fratrem: *Statuo ſic, atque concludo, acceſſionem Italicæ linguæ fieri*

(1) Leonardus Brunus, Petrus Bembus, & Strotius Sæculo XVI., noſtro autem Scipio Maffejus, cui tamen non omnia concedit Tiraboſchius in Præfatione ad Vol. III. Hiſtoriæ Litterariæ. Lud. Muratorius in libro *De perfecta Poeſi* ea dicit, quæ cum Tiraboſchii opinione conſentiant.

fieri majorem non poſſe, quam ſi cum Latina conjungatur: *non modo quia nulla plenior, aut ornatior, verum etiam quia nulla ſimilior*: *ex quo ſequitur, ut ad coeundam cum ea ſocietatem nulla commodior*. Quæ quum ita ſint, nec immerito externos homines poſthabemus, qui a Latino ingenio natura ſua longe abſunt, & nos id ipſum, ſi bonos Auctores ſine intermiſſione legamus, ac ſtilum exerceamus, haud dubie aſſequimur, quia hæc diligentia, quæ alioqui per ſe multum valet, ſimillima nativi ſermonis vi, ſimillimoque ambitu mire adjuvatur: qua rerum conjunctione nihil poteſt eſſe efficacius. Tamen advertas, velim, *ſimillimum* ambitum a me dici, non *eumdem*; profecto enim ſi quid legimus ita Latine ſcriptum, ut ex Italico ad verbum tranſlatum eſſe videatur, irridemus atque abjicimus. Quod ipſum argumento eſt, nos minime falli, ſed id potius ex Auctorum lectione conſequi, ut probe intelligamus, quantum Itali ſermonis ſimilitudini in latina ſcriptione ſit tribuendum. Hæc ſi tu non agnoſcis, tua venia dixerim, vel externis hominibus iniquiorem te tuis præbes. Hi enim ipſi non adeo ſuæ gloriæ ſtudio obcæcantur, ut hanc lucem aut non videant, aut videre nolint, atque etiam ultro Latini ſermonis facultatem nobis non concedant. Decimo ſexto quidem ſæculo, qui bene Latine ſcripſerint, eos omnes

in

in Italia aut natos eſſe conſtat, aut certe veram antiquorum imitationem didiciſſe. Etſi id ipſum externis contigit admodum paucis, in quibus, ut de Longolio taceam, Muretus ille Gallus, quum maximam vitæ partem inter Italos tranſegiſſet, ad eam elegantiam pervenit, ut in proſa oratione præter Paullum Manutium, quem ipſum tamen provocare videtur, parem habuerit, mea ſententia, neminem. Ergo is, optimus ſane æſtimator, non alia profecto re, quam veritate victus, in Procemio ad Scholia in Terentii Fabulas aperte profitetur, *ſemper propriam Italorum laudem fuiſſe, ut ſoli ex omnibus Latina oratione perite ac ſcienter uterentur*. (1)

---

(1) Idem Muretus in Oratione, quæ eſt vigeſima voluminis ſecundi, totam hanc quæſtionem breviter attingit, ac veram Latini ſermonis apud nos facultatem his verbis tuetur: *Ajunt, Græcam, Latinamque linguam jam pridem mortuas eſſe. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere, & vigere contendo, ſed, ſi in translatione perſtandum eſt, firma valetudine uti, poſtquam eſſe in poteſtate plebis deſierunt .... Nunc ex quo ad Optimates, ut ita dicam, redactæ ſunt, & certis a Scriptoribus petuntur, certis regulis, ac præceptionibus continentur, multis jam ſæculis fixæ atque immutabiles permanent .... Si in vulgi poteſtate manſiſſent, hodie Ciceronem non intelligeremus.*

VII. Nam quod ſcribis, videre te, hunc ipſum, de quo dixi, ambitum, hoc eſt, ut tu commode interpretaris, hanc enunciandarum cogitationum vim, & complexionem non eſſe in Paullo Manutio eandem, quam in Tullio; quid id efficiat, non intelligo. Potuit enim Manutius Tullianum ambitum imitari, quod profecto egregie fecit, in ipſum Tullii ingenium immigrare certe non potuit. Quintilianus, cujus ego judicio nihil exiſtimo acrius fieri poſſe, quo loco de imitatione agit, (1) dicere non dubitat, *plerumque facilius eſſe plus facere, quam idem; tantam enim* (inquit) *difficultatem habet ſimilitudo, ut ne ipſa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res, quæ ſimillimæ videantur, diſcrimine aliquo diſcernantur*. Quare etiam hac adhortatione concludit: *ideoque quum totum exprimere, quem elegeris, pæne ſit homini inconceſſum; plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio hæreat, & quo quidque loco conveniat, aptemus*. In Manutio igitur ambitus eſt non omnino Tullianus, eſto: num idcirco non Latinus? id enim quæritur, & differunt hæc inter ſe vel maxime, aliudque eſt Latine ſcribere, aliud etiam Tulliane. Quod ſi de cu-

(1) L. X. C. 11.

cujuſque oratione judicium facere volemus, prout ambitum Tulliano parem, aut ſecus habeat, quotus quiſque vel ex antiquis Auctoribus, ſententia noſtra Latinus dicetur? Nemo ſcilicet, præter ipſum unum Ciceronem. Quid ergo? an non eſt certus ambitus, qui Latinæ linguæ ſit proprius, qualem modo dicebamus? Immo eſt communis quidam, qui in omnium Scriptorum oratione quodammodo ſerpit, & ſubeſt, cui tamen innumera complexionis genera ſubiecta ſunt; ita prorſus, ut quum in univerſis Auctoribus idem ingenium, nempe latinum, deprehendatur, ſua tamen cuique peculiaris ſit ratio, ſuuſque in cogitationum enunciatione ambitus. Res eſt ejuſmodi, ut non perinde explicari poſſit, atque intelligitur; nam etiam in iis, qui Italice ſcribunt, idem videmus. Quare ut propoſiti ſibi Scriptoris ambitum ita exprimere quis poſſet, ut nuſquam aberraret; oporteret profecto, aut eadem ingenii vi, eademque natura eſſe, & iiſdem a puero rebus ſtuduiſſe, aut certe alicujus Dei ope in illum ſubito mutari. Quis enim ignorat, indoles, ſtudia, mores ipſi quantum in quoque ad cogitandi rationem afferant, unde poſtea peculiaris iſte ambitus gignitur? Itaque verum eſt Græcorum proverbium, quod commemorat Fabius, ut vivat, quemque etiam dicere. Hinc accepimus

a Ci-

a Cicerone in Bruto, (1) *Cajum Tuditanum cum omni vita, atque victu excultum atque expolitum, tum ejus elegans eſſe habitum orationis genus*; contra vero *alterum Cajum Fannium M. F. C. Lælii generum & moribus, & ipſo genere dicendi duriorem* (2). Pari modo *Q. Ælium Tuberonem Stoicum, ut vita, ſic oratione durum, incultum, horridum* (3), Sextium autem Calvinum *ingenio, & ſermone eleganti fuiſſe* (4). Et hæc eſt nimirum, ut arbitror, haud poſtrema ratio, cur etiam in iis Auctoribus, qui ad nos pervenerunt, ea ſit, non dico eloquutionis, quamquam hujus quoque, quæ tamen materiæ etiam ſervit, ſed plane ambitus diſſimilitudo, ut ſtudioſi lectoris oculos effugere nullo modo queat. Certe nec in Marci Cœlii, aut Decimi Bruti, aliorumve Epiſtolis eamdem eſſe complexionem video, quam in Tullii, adeo, ut eas recitari audiens non prælectis nominibus, dicam: Hæc Tullii eſt, hæc non eſt; & omnes mihi, opinor, concedent, alio quodam ambitu cogitata ſua efferre Salluſtium, alio Cæſarem, alio Livium, alio Vellejum, alio Suetonium. Quis Ciceronis ſtudioſior Quintiliano? eodem quis diſſimilior? At nemo

(1) C. XXV. (2) C. XXVI. (3) C. XXXI.
(4) C. XXXIV.

nemo propterea dixerit, minus Latinam eſſe talium Auctorum orationem. Quod ergo ſcribis, non eundem in Manutio eſſe ambitum, quem in Tullio animadvertas (quo demum exemplo, tamquam ratione aliqua niteris) id non modo non probat, latinam iſtam, de qua ſatis jam dictum arbitror, enunciandarum cogitationum rationem a noſtra, hoc eſt, ab Italorum facultate generatim abeſſe; ſed ne de ipſis quidem Manutii laude quidquam detrahit, quum ejus Sermo utique latinus, & elegans eſſe poſſit, ut eſt, etiam ſi non ſit plane Ciceronianus. Quamquam dicere non vereor, ſi quis unquam fuit, qui ad Tullii formam atque ingenium proxime accederet, eum certe Manutium fuiſſe; & ſi veteres Scriptores cum recentibus eſſent conferendi, eique danda palma, qui toto orationis genere Tullio videretur ſimillimus, hunc ipſis veteribus victoriam prærepturum. Quum autem hic veteres dico, eos intelligi volo, qui aurea atque argentea ætate ſcripſerunt, ex quibus, qui ad Ciceronem propius accedat, quam noſter Manutius, video eſſe neminem. Quod ſi ad inferiores Auctores deſcendamus, ita paullatim immutari ſermonem cernimus, ut poſtremo vix cognoſcamus, eumdem eſſe. Quanto ergo his omnibus præſtet Manutius, neceſſe eſt, qui etiam cum antiquioribus comparatus

ſus, Tullianum ambitum, quo nullus melior, unus maxime refert?

VIII. Etſi quid in iſto diutius moror? numquid enim hic ſolus videtur inferiorum ætatum Scriptoribus præponendus? immo alii permulti cum ſuperioris, tum noſtræ ætatis hunc honorem ſuo jure ſibi vindicant. Et ſane quis eſt non omnino horum ſtudiorum imperitus, qui, niſi malignus eſſe velit, non libenter fateri debeat, multo magis puram & caſtigatam ſibi videri Sigonii, & Mureti orationem, quam Gellii, atque Macrobii? qui non intelligat, Apulejum, & Arnobium nitore atque elegantia a Maffejo, & Turſellino ſuperari; qui non Bembos, Victorios, Sadoletos, Palearios, Alcionios, & noſtra ætate Bonamicos, Zanottos, Facciolatos Martianis, Auſoniis, Mamertinis, Caſſiodoris, Apollinaribus præferat? Quod ſi ita eſt, eſt autem plane; qui tandem negari poteſt, Romanæ linguæ ingenium atque ambitum aſſequi nobis licere, quum illos ipſos, qui ea inclinata quidem, at nondum extincta, ſcripſerunt, manifeſtiſſime vincamus? Verum initio promiſi, me totam hanc cauſſam leviori brachio acturum; quare a propoſito non diſcedam. Nam, quod de Terentii imitatione ſcribis, ego vero nullum invenio hic nodum, atque adeo longa oratione non eſt opus. Eſt enim in pri-

mis terſus ille quidem atque elegans vel Ciceronis judicio, ſed tamen quum ſermone utatur eo, in quo multa antique dicta ſunt, multa humiliter, multa ſcenice, multa ad metrum accommodate; is ſane non eſt, unde qui graviter atque ornate velit ſcribere, plurima poſſit mutuari. Etſi non modo ſplendidæ atque exaggeratæ orationi hunc minime aptum eſſe dixerim, ſed ne epiſtolis quidem ſeverioribus, aut ſermonibus eruditis, quorum ſubtilem & æquabilem ſtilum non aliunde, quam e Tullio diſcemus. Porro multo pauciora ſuppeditabit nobis Plautus, cujus latinum quidem, ſed obſoletum, plebejum, ac perridiculum dicendi genus, neſcio hercle, ubi locum extra ſcenam habere poſſit. Non negaverim tamen, eſſe in utroque quæ excerpas, atque in uſum ſeponas. Illud quidem certe horum lectio habet utilitatis, quod penitiorem latinæ linguæ notitiam nobis affert, ut tanquam ſi in medio priſci illius populi arrectis auribus verſemur, ſic omnem ejus ſermonem, atque adeo vel idiotiſmos incredibili voluptate cognoſcamus. Sed antequam manum de tabula, nolo equidem prætermittere, quin duas res attingam, quæ præter ea, quæ abs te diſputata ſunt, a pleriſque adverſariis objiciuntur. Ajunt enim, primum non reperiri apud Latinos multarum rerum vocabula, quæ res ſuperioribus demum, aut noſtris tem-

temporibus inventæ ſunt; deinde tanta morum mutatione facta, quædam nomina quibuſdam rebus a nobis accomodari, quæ ab iis differant, quibus ea nomina poſuerunt Latini. Ad primum quod attinet, quid cauſſæ eſt, quin vel quod uno Italice, idem Latine pluribus verbis interdum exponamus (1), vel etiam, ſi id commode non poſſumus, ad eam licentiam coufugiamus, qua tantopere delectabatur M. Tullius, quam nobis largitus eſt Horatius?

.... licuit, ſemperque licebit

Signatum præſente nota producere nomen.

Quid enim? An Marcus Flaminius in re tam levi, quam illud eſt Carmen ad Guidum Poſthumum (2), hac uſus eſt venia, ut vocem *floricomum* fingeret, quum opus nihil eſſet, ac totam ſententiam aliter efferre poſſet; iis, qui in ſcientiarum atque artium tractatione verſantur, quorum oratio preſſa eſſe debet, ac proprie declarans ea, de quibus agitur, no-

(1) Videndus hac de re Tullius libro III. de Finibus C. I. & libro I. C. XVII. *De Natura Deorum*.

(2) Hoc Carmen eſt in libro II. num. XXXIII. Edit. Cominianæ. Videnda autem ejuſdem Flaminii Epiſtola ad Baſilium Zanchium, quæ eſt prima ſex Italicarum ſelectarum ejuſdem voluminis, ubi rationem de hac re ſuam Zanchio erudite probat.

va novis rebus nomina imponere non licebit? Vidit hoc vir clariſſimus Franciſcus Zanottus; itaque quum Bononienſis Academiæ Commentaria ſcriberet, iſtam vocabulorum novitatem, in qua quidem aut Latinam, aut Græcam analogiam ſequi & debemus & poſſumus, recipere non dubitavit. Quod an ſalva Latinitate fecerit, cuilibet judicandi copia eſt. Ego quidem numquam libros illos in manum ſumo, quin Cajum Plinium molliter accuſem, ut duriuſculum, ac paullo fere tumidiorem. Ita ſcilicet res ſimillimæ multo mihi a Zanotto videntur eſſe lucidius, venuſtiuſque tractatæ.

IX. Sed venio ad id, quod ſecundo loco de quorumdam vocabulorum uſu objicitur. Exempli cauſſa, *Deus*, inquiunt, a nobis non recte dicitur, quia Romani alias quaſdam notiones huic vocabulo ſubjiciebant ab noſtra Religione omnino abhorrentes. Pari modo voce *Sacrificio* improprie abutimur, quum id apud Latinos diſſimillimis cærimoniis contineretur. Ridicule etiam dicimus *Auctores evolvere* pro *legere*, quam dictionem Romani ducebant a ſuis illis voluminibus, quæ legere non poterant, niſi evolviſſent; ex quo intelligitur, ne vocem quidem *volumen* hoc ſenſu ad noſtram conſuetudinem convenire. Quid, quod nemo dubitat ſcribere, ſe *menſæ accubuiſſe*, illum factum eſſe *Conſulem*, *Ædilem*,

lem, *Senatorem*, *Decurionem*, *Præſidem*, quum hac ætate nulla harum rerum iis notionibus perfecte reſpondeat, quas talibus vocibus Latini ſubjecere? O callidos homines! o ſubtiles cogitationes! quas quidem ſi audierimus, eo faſtidii, vel potius inſaniæ progrediemur, ut nec *domum*, nec *triclinium*, nec *lectum*, immo, ſi diis placet, nec *panem* aut *vinum* in recentium auctorum ſcriptis ferre poſſimus. Atqui garriant licet quod lubet, eædem fere ſignificationum quaſi viciſſitudines in Romanum ſermonem adhuc vigentem incurrerunt, ac ſæpiſſime Latini, rebus ipſis vel opinione diſſimilibus, ut in philoſophia, vel conſuetudine immutatis, ut in vita communi, & in republica, nihilominus eadem vocabula retinuerunt. In philoſophia, exempli gratia, aliter ſentiebant de divina natura Peripatetici, aliter Stoici, aliter Academici, aliter Epicurei; tamen hanc omnes eodem nomine notabant. Quid de voluptate, de virtutibus, de ſummo bono? eadem erant vocabula, non eædem notiones. Quamquam quod ad Deum, animique virtutes attinet, atque ad alia quædam ad Religionem pertinentia, miror, adverſarios noſtros non advertere, talium rerum vocabula eodem plane ſenſu a nobis poni, quo ſunt a Lactantio. a Severo, a Hieronymo, ceteriſque ejuſmodi adhibita, qui pro-

fecto, ubi veteres nihil ſuppeditant, auctoritate non carent. Sed hæc miſſa faciamus. *Liber* ea, qua paſſim uſurpatur, notione unde, quæſo, dictus eſt? non ne quia primo in quarumdam arborum libris ſcriptitatum eſt? At poſtea obtinuit uſus, ut quamvis mutata re priſcum tamen maneret nomen, *liber*que vocaretur, qui ex pluribus cujuſque generis chartis eſſet concinnatus. Priſcis Romanorum temporibus ii tantum proprie *humari* dicebantur, qui mortui humo iniecta conderentur: invaluit deinde cremandi conſuetudo; num idcirco priſtinum verbum obſolevit? minime. Itaque etiam in ſecundo de legibus ait Cicero: *& quod nunc communiter in omnibus ſepultis, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegerat. Immolare* quod aliud ſacrificii genus declarabat, niſi quod fiebat inſperſa mola? Sed profecto illi Gallorum Druides, quum Deorum immortalium templa humanis hoſtiis ſcelerata religione funeſtarent, molam ſalſam non adhibebant. Tamen in hac re eo verbo uſus eſt cum Cæſar in Libro ſexto de Bello Gallico (1), tum Cicero in Oratione pro Marco Fontejo (2). Nemo neſcit, quan-

(1) C. XVI. (2) C. X,

quanta fuerit in Romana republica Dictatoria Poteſtas. At Marcus Cato, ut eſt apud Gellium Noctium Atticarum libro decimo (1) Aſdrubalem Carthaginenſium *dictatorem* appellavit, quaſi eadem eſſet Carthagini hujus Magiſtratus amplitudo. Sed illud etiam magis notatu dignum, quod quem Cato *Dictatorem*, eumdem Juſtinus libro vigeſimo ſecundo *Conſulem* vocat. Scilicet hæc nihil inter ſe differebant. *Decurio* in Legione Romana non ne erat is, qui decem equitibus præerat? Turma autem, quæ erat XXX. aut XXXIII. equitum; nonne tres decuriones principio habebat? quid poſtea? mutata res eſt, nomen remanſit. Quod quidem nomen etiam ad alia officia deinde tranſlatum eſt. *Uxores* Latini ſuas ab *ungendis poſtibus* appellabant. Non ergo Germanorum, Afrorum, Græcorumve Conjuges eodem nomine notare debuiſſent, ſi quidem haud iiſdem ritibus ad viros deducebantur; quod contra id ſæpiſſime in Auctoribus occurrit, & apud Livium clara nomina ſunt *uxor* Nabidis, & *uxor* Ortiagontis. Quid dicam de voce *Bello*? alia profecto erat apud Romanos præliandi ratio, atque armatura, alia apud Hiſpanos, alia apud Gallos, atque omni-

(1) C. XXIV.

no apud barbaros. Tamen tam varia pugnandi genera uno eodemque vocabulo deſignabantur. Nam quod ſuperius dixi de *accumbendi* verbo, facit ad rem Virgilii verſus, qui eſt in primo Æneidos.

. . . . *tu das epulis accumbere Divum*;

ubi Servius: *Sane epulis* accumbere, *ſecundum temporis conſuetudinem dixit: nam olim ſedentes veſcebantur, ſicut ipſe meminit*: Gramineoque viros locat ipſe ſedili, *&*: Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis: *& apud Homerum ſedentes Dii epulantur*. Verum fieri poteſt, ut Poeta *accumbere* hic dixerit pro *ſedere*, atque hoc ſenſu verbum illud accipi voluerit. Omnino & ipſe Homeri ſectator erat, nec ſatis deorum majeſtati convenire accubitus videtur. Utcumque eſt, quando priſcorum Latinorum conſuetudinem ſcimus, qui eodem, quo nos, ſtatu epulabantur, (1) atque idonea ejus rei vocabula accepimus, *ſedere*, & *conſidere menſæ*, rectius multo erit his uti, quam illis, quæ accubationem proprie declarant.

X. In-

(o) Vide Hieronymum Mercurialem At. Gymn. Lib. I. c. XI. & Rollinium in Commentatione de Conviviis Veterum Romanæ Hiſtoriæ inſerta.

X. Interea, opinor, videmus, ne ob hanc quidem cauſſam, quod in certorum vocabulorum uſu notiones eas, quas ipſis Latini ſubjecerint, paullum aut extendere aut contrahere cogamur, debere nos a latine ſcribendo deterreri. Nam ut prætereamus, hoc in pleriſque non evenire, (& quidem ſemper maxima pars ſpectari debet) Latinorum exempla habemus, ex quibus quæ apud eos fuerint cujuſque verbi translationes perſpicimus: &, quod haud ſcio, an primum omnium ſit ponendum, hæc ipſa eorundem vocabulorum ad res non plane eaſdem accomodatio tropi nomine comprehendi poteſt; tropus enim, ut oſtendit Quintilianus (1), non venuſtatis modo gratia fit, verum etiam ſæpe neceſſitate, quum verum & proprium nomen deeſt. Et ſane, ſi magis attenderimus, aut in re ipſa ſimilitudo erit quædam, ne dicam proximitas; ut quum alicujus urbis ſummum Magiſtratum *Conſules* dicimus, quamvis enim nec trabeam, nec ſcipionem eburneum, nec lictores habeant, in hoc tamen Romanis illis ſunt ſimiles, quod ſuprema auctoritate rempublicam gerunt, ad id creati, ut populo conſulant. Itidem quum CHRISTI Vicarium *Pontifiem* *Ma-*

(1) Lib. VIII. C. VI.

Maximum vocamus, qui quod *maximus rerum* (ut Feſti verbis utar) *quod ad ſacra, & Religiones pertinet, judex ſit, vindexque contumaciæ Privatorum, Magiſtratuumque*, nihil differt ab eo *Pontifice*, quem Numa inſtituit. Sed ut alia quoque leviter attingamus, *Navium* quis ſcit, quot & quales fuerint apud Romanos conſtructiones? nemo tamen nos reprehendit quum machinas ligneas, quibus per mare, flumen, lacumve iter facimus, *naves* aut *navigia* dicimus. Jam enim hæc ab illis forma fortaſſe diſtant, re autem, ad quam parantur, conveniunt. Pari modo automaton illud, cujus in fronte ſtilus circumſcriptas horas indicat, *horologium* ſine reprehenſione vocamus, quum tamen nulla *horologia* Romani noverint, præter Solarium, & Aquarium. Sed hoc videlicet cum illis commune habet automaton noſtrum, quod horas indicat. Hoc idem de multis veſtium generibus eſt dicendum. Verbi gratia, ipſas antiquæ *pœnulæ* formas vix licet ſuſpicari; ſed nihilominus veſtem hanc ſpiſſam, & fere villoſam, quam frigida ac pluvia tempeſtate ſuper ceteras induimus, recte ſic appellamus, quod eandem fuiſſe *pœnulæ* opportunitatem ſcimus, ut frigus & pluviam arceret. Aut igitur, ut dixi, aliqua intercedit ſimilitudo atque affi-

affinitas, aut certe translatio quædam exſiſtit erudita & jucunda; velut in his ipſis dictionibus: *Scripta evolvere*, ex eo, quod Antiqui libros convolvere ad cylindri ſimilitudinem ſolebant; *ſtilum vertere*, quod altera ſtili parte delebant, quod altera notarant; *faſces ſubmittere*, quia id honoris ſignum erat adverſus majores Magiſtratus; *in alicujus ſententiam pedibus ire*, quod in Senatu qui alicujus ſententiam approbabat, in ejus, cui aſſentiebatur, partem ſe conferebat; *rem ab ovo uſque ad mala exponere*, ab initio & fine cœnæ Antiquorum; & ne longum faciam, hoc idem in aliis plurimis loquendi modis valet, & maxime quidem in proverbiis.

XI. Sed redeo ad jucundiſſimas, omnique urbanitate conditas litteras tuas, quibus in extremis quæſtionem illam poſuiſti, an, quum a Veterum facultate tam longe abſimus, operæ pretium ſit tanto ſtudio in Latinis litteris verſari. Ego vero iſtuc nihilominus quærendum puto, ut ad Veterum elegantiam accedamus. Etenim id rectiſſimum videtur, ſuam quemque linguam præ ceteris omnibus colere. Quod ſi Romanos imitari tantopere avemus: quæ fuit, obſecro, poſt hominum memoriam patrii Sermonis ſtudioſior, magiſque retinens natio?

tio? (1) Nec vero negari poteſt id, quod eſt notiſſimum, eorum pleroſque multum operæ Græcis litteris dare ſolitos; quippe etiam legimus, Marcum Antonium Oratorem *Græce ſic loquutum, nullam ut noſſe aliam linguam videretur* (2); Titum quoque Pomponium ſic, ut Civis Attici ſpeciem præ ſe ferret; (3) Quinto autem Catulo ſeni *Græcos ipſos ſuæ linguæ ſubtilitatem concedere* conſueviſſe (4). Verum ſapientiſſimi homines haudquaquam in ipſa Græcæ linguæ cognitione, tamquam in fine, conquieſcebant, neque eam propter ſe expetebant, ſed & ſtudio Philoſophiæ adducti, quæ etiam tum apud Græcos habitabat; & maxime quod *Greca oratio plura ornamenta ſuppeditans* (ut ipſe de

---

(1) Hoc e multis Auctorum locis colligitur. Sed illud vel maxime notatu dignum, quod ipſe Tullius a Lucio Metello Prætore, quod in Senatu Syracuſano verba feciſſet, atque apud Græcos græce loquutus eſſet, acriter eſt reprehenſus. Vide Actionis II. in Cajum Verrem librum IV. Inſignis eſt locus etiam apud Valerium Maximum L. II. capite de Inſtitutis Antiquis.

(2) Cic. de Or. lib. II c. I.

(3) Nepos in Attico c. IV.

(4) Cic. de Or. lib. II. c. VII.

de ſe loquens teſtatur Cicero (1) *conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi afferebat*. Quamquam non defuerunt, qui Græcas litteras ita complecterentur, ut nulla re alia ſibi propoſita, in has unice incumberent, ac domeſticarum non modo nulla cura, verum etiam faſtidio quodam tenerentur; quos inter inſignes exſtiterunt Aulus Albinus, & Titus Albutius. Ergo hi prudentium atque urbanorum hominum reprehenſiones non effugerunt; (2) alter enim quum res Romanas, ut narrat Gellius (3) oratione Græca ſcripſiſſet, atque in ejus Hiſtoriæ principio veniam gratiamque malæ exiſtimationis, ſi quid eſſet, ut ab homine Latino, erratum, poſtulaſſet, venuſte admodum a Marco Catone irriſus

---

(1) In Bruto C. LXX.

(2) Horatius ipſe lib. I. Sat. X. poetico quodam ſomnio Romanos monet, ut latine conentur quæ Græcorum ſcriptis mox opponant.

Atque ego cum Græcos facerem, natus mare citra,
Verſiculos, vetuit tali me voce Quirinus
Poſt mediam viſus noctem, cum ſomnia vera:
In Sylvam non ligna feras inſanius, ac ſi
Magnas Grajorum malis implere catervas,

(3) Noct. Att. lib. XI. C. VIII.

ſus eſt; alter, qui ſe plane Græcum dici malebat, ferventi Luciliano ſale aliquando concaluit. Præterea totam hanc Sectam Tullius ipſe in Proœmio ad librum primum de Finibus ſcitiſſime exagitavit. In quo quidem illud eſt vel maxime notatione dignum, quod eo uſque ſeveritatis progreditur, ut dicat, ſe ab iis, qui Latina ſcripta præ Græcis aſpernantur, *tantum diſſentire, ut quum Sophocles vel optime ſcripſerit Electram, tamen male converſam Attilii ſibi legendam putet*. Quibus rebus videtur colligi poſſe, dandam quidem eſſe nobis Latinis litteris diligentem operam, atque etiam ſæpe in domeſtica umbra Latine accurate ſcribendum; ſed ad eum finem dumtaxat, ut tam excellentium Auctorum ingenia deputemus, atque ipſa eorum imitatione conſuetudinem ſimiliter Italice ſcribendi aſſequamur; cæterum noſtra lingua potiſſimum utendum eſſe: præſertim quum & ea nihilo pauperior ſit, quam Romana, atque omnes ſermonis veneres perinde recipiat; & nos Latine, quamvis exercitati, non æque tamen celeriter ſcribamus.

XII. Contra hæc quid dici poteſt? niſi forte illud, quod quidem multis, & iis doctis graviſſimum videtur, incertum eſſe, quid Italo ſermone aliquando futurum ſit; contra vero certiſſimum,

La-

Latinam linguam, dum & Religio, & litterarum amor manebunt, numquam plane morituram. Qui ergo Latine ſcribat, eum æternitati ſervire, qui Italice, fortaſſe non item. Præterea ut in poſteritatem non conſulamus; vel ad præſentis temporis rationem haud paullo ampliorem habere Latina ſcripta utilitatem, *propterea quod iſta leguntur in omnibus fere gentibus*, Italica *ſuis finibus*, *exiguis ſane*, *continentur*. (1) Huc addamus licet doctorum hominum complurium exempla, & antiquam hujuſce laudis apud Italos poſſeſſionem, quam nos ut conſtanter retineamus, & Muretus, & Manutius noſter etiam atque etiam hortantur. (2) Nam quod

(1) Sponte hic ſe mihi obtulerunt ea, quæ de Græcis ſcriptis ait Tullius pro Archia Poeta C. X. *Nam, ſi quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis verſibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Græca leguntur in omnibus fere gentibus Latina ſuis finibus, exiguis ſane, continentur*. Porro advertendum eſt, & Tullium, quod Græca ſic præter ſolitum efferat, cauſſæ ſervire, & ipſum Archiam Græcum eſſe hominem, non Romanum.

(2) Inter Gallos non ſolum XVI. ſæculo Muretus Italorum in Latinis litteris excellentiam, ut vidimus, agno-

quod tu ſcribis, iſtam recentium Latinorum nationem ſolere eſſe levem, atque in nugis occupatam; id vero hominum, non rei ipſius, vitium eſt. Utinam quidem omnes illum, de quo ſuperius dicebam, Zanottum imitarentur; qui cum ſumma Latini Sermonis integritate accuratiſſimam maximarum rerum ſcientiam conjunxit: profecto etiam iſta querela conticeſceret. Ego quidem interea Italicas litteras tanti faciam, ut honeſtiſſimam hancce voluptatem, quam e Latinis ſoleo capere, minime ſim tamen repudiaturus. In quo ſpero, te mihi non futurum adverſarium, ſed etiam talem nihilominus ſemper & diligam & amabo. Vale, mi præſtantiſſime Georgi, & Malfattum, ac Serranum, cariſſimas mihi animas, plurima ſalute a me imperti. Roboreti. Pridie Nonas Martias MDCCLXXVI.

GEOR-

---

agnovit ac prædicavit, ſed etiam hoc noſtro inſignis vir exſtitit ejuſdem excellentiæ laudator, Joſephus, inquam, Olivetus, ille, qui tam bene de M. Tullio meritus eſt, quum omnia ejus ſcripta lectiſſimis commentariis inſtruxit, ac nitidiſſime edi curavit. Hæc autem ſunt ejus verba in ipſo Proœmio ad Volumen primum Orationum M. Tullii; *Italiæ gratulemur interim, bonarum artium parenti, quod egregiorum hominum, quos ipſa peperit, ſtudiis æterna ſit Latinæ facundiæ in majorum ſuorum ac ſuis ſedibus propagatio.*

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

V.

JAmdiu litteras tuas accepi elegantiæ & eruditionis pleniſſimas, quæ & mihi & Serrano & Malfatto noſtro probatæ ſunt quam quæ maxime. Jam, utrum me a ſententia abduxeris, quæres. Ego vero, mi Clementine, ſic arbitror, longe plurima, atque optima argumenta una tua Epiſtola comprehendi, eaque luculentiſſime pertractata. Itaque *ſi Pergama dextra defendi poſſent*, iſta, inquam, tua defenſa fuiſſent. Perſiſtis igitur in ſententia, inquis. Id nimirum fieri ſolet: ſed dicam tamen quod ſentio. Quæ de vocum veritate ac proprietate & erudite diſputas & acute, ea me magnopere commoverunt. Cætera fortaſſe non item. Cerno tamen, quod ante dixi, nihil melius dici poſſe. His arbitror te eſſe contentum. Neque ſane me coges, ut infinitis pæne negotiis diſtractus hanc iterum quæſtionem exagitem: quam ſi refrixero, nec ego fortaſſe Latinæ linguæ uſum impugnavero verius, nec tu defendes robuſtius. Itaque hæc hactenus. Sed tu mi Clementine, perge utique, & has cole litteras, quas tantopere amas, & noſtras, & optimam quamque doctrinam. Ita enim mihi videris natura eſſe

comparatus, ut quidquid moliaris, abſolute poſſis eleganterque perficere. Iſti ipſi tui, quos in otio adumbras animi cauſſa, proſpectus, quantum habent elegantiæ! Atqui his tantum tribuis; quantum alii pilæ, quantum teſſeris, quantum aleæ. Quam igitur in iis, quibus maxime vacas, præſtantiam conſequere! macte igitur animo, & quum omnia poſſis quæ velis, fac ut velis ea, quæ ſumma ſunt. Nec te rerum difficultas deterreat, neo illud time, audaciæ notam ne incurras. Nemo enim, mea quidem ſententia, poteſt eſſe aliquid, quin bene audeat & leviter. Quæ quidem quum ſcribo, meam me fortaſſe agere cauſſam dices, ſi hanc legeris Oratiunculam, (1) quam ad te mitto. Neque enim Italorum quiſquam poſt hominum memoriam audacius facinus molitus eſt. Quod ſi ego amicorum vocibus tribuiſſem id, quod par eſſe videbatur, omnem hujus rei cogitationem penitus abjeciſſem. Nunc autem eo res adducta eſt, ut explorata pæne exitus ſpe gaudeamus. Sed Oratiunculam ipſam lege: & de ea, deque tota re quid ſentias, ſcribe. Ego id mihi dumtaxat ſumo, ita eam eſſe ſcriptam, ut legi

(1) Hoc eſt, Libellum, quem inſcripſit *Proſpetto di una Nuova Encielopedia Italiana.*

gi poſſit. Illud tamen caveto, ne legatur a pluribus, neve ii, qui legerint, auctorem intelligant eſſe me. Quamquam enim typis impreſſa eſt, curavi tamen ut ne publica eſſet, ſed ſociis tantum diſtribuerentur paucula ſane exempla. Apud quos ipſos viros longe clariſſimos, invidioſum fortaſſe eſſet mediocrem quemdam hominem auctorem prædicari. Vale. X. Cal. Majas.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VI.

NIhil neceſſe nunc arbitror tibi excuſare tarditatem litterarum mearum, quum & Malfattum, cui mandaram, id meis verbis præſtitiſſe putem, & tu ipſe ita ſis occupatus, ut nihil minus, quam has nugas, deſiderare debeas. Itaque te mihi vel faciliime ſpero jam ignoviſſe, quod non citius tibi moleſtus fuerim. De Epiſtola illa, qua recentem Latinitatem defendi, ea tu quidem ſcripſiſti, quæ mihi non modo grata, ſed etiam jucunda eſſent, meque ad urgendum ſtrenue propoſitum mirifice confirmarent. Hoc autem erat in primis, cur te mecum ex animo loqui crederem, quod ſenſum mihi tuum in utramque partem aperiebas. Nam quod ti-

mebas, ne te quem tot occupationes premunt, iterum in aciem prodire cogerem; ego vero non modo non cogo, ſed etiam, ſi quid juris in te mihi dat amicitia, prohibeo. Neque tua magis id quidem cauſſa, quam mea; jam enim intelligo, quid periculi ſit tuam iſtam ſubtilitatem laceſſere. Quid multa? veriſſime Malfattus ad me ſcripſit, fore, ut ne Carneades quidem, ſi reviviſceret, jactare ſe tecum ſuo more poſſet. Orationem tuam & ipſe non ſemel legi, & Clementi quoque Baronio viro Clariſſimo (1) legendam dedi. Quid tibi ego dicam? etenim ipſe intelligis, propoſiti tui amplitudinem nullius laudibus egere. Nam quod id ipſum eo nomine in quorumdam incidit reprehenſionem, quod undique jam Scientiarum atque artium commentaria neſcio quæ erumpant, quibus ignavia & impudentia maxime foveantur; næ tu iſtorum ſermonem tribus capitibus, brevibus illis quidem, ſed ſucci roboriſque plenis egregie retudiſti. Quem ſcopulum prætervectus, cum cetera, quæ ad rem ipſam, ejuſque œconomiam, atque inſtrumenta pertinent, & acute con-

(1) Clemens Baronius Roboretanus, patriæ Academiæ Cenſor perpetuus, Philoſophus, Criticus, & Hiſtoricus egregius.

conſideras, & in certas claſſes apte partiris; tum ſocios tuos, quo modo quidque agant, planiſſime ac providentiſſime doces. Qua tota in oratione duo in primis eminent, ſincerus Religionis amor, & ſtudium patrii ſermonis augendi: quorum hoc etiam in Gallis fuit, illud fortaſſe defuit, utrumque ſumma laude dignum eſt. Quare noli, quæſo, iſtorum voces audire, qui quum te a pulcherrimo facinore deterrere volunt, ſuam ipſi vel parvum, vel pravum animum produnt. Etenim aut inepti ſunt, aut tuti nimium timidique procellæ humi ſerpunt, aut certe tibi invident. Quos tu quaſi moleſtos aliquos graculos, dimitte, & quæ meditata, deſcripta, conſtituta jam habes, ea ut ad effectum adducas, omni ſtudio incumbe. Communicabitur enim, te auctore atque duce, cum univerſa Italia maximi poſt hominum memoriam operis utilitas; eademque opera & ipſa Εγκικλοπαιδεια (id quod Gallorum tot laboribus non eſt effectum) ad unguem expolietur, emendabitur, perficietur; & noſtra lingua, cæteris rebus nulli inferior, lectiſſima vocabulorum ad Scientias Arteſque pertinentium copia locupletabitur. Tu autem, mi Alexander, princeps Societatis, ac totius rei architectus, quibus laudibus non ornaberis? quam opinionem, quam famam non aſſequere? id tu fortaſſe comtemnis, & ſapienter quidem; ſed tamen

& magnum commodum atque ornamentum Italiæ afferes, & nomen quoque tuum in perpetuum ab interitu vindicabis. Quare perge, atque iſtum porro animum retine, tibique perſuade, nihil omnino eſſe, in quo curas, ſtudia, labores, ac vires tuas vel utilius poſſis, vel glorioſius collocare. Vale, ac Malfattum & Serranum ſaluta, quem videre mihi videor cum Martiali ſuo ſedentem, torvis oculis meas litteras relegentem, citatimque contra me plurima ſcriptitantem. Nec enim arbitror, eum, quo eſt animi fervore, pigritiam meam imitaturum. Vale iterum. XIII. Cal. Julias. MDCCLXXVI.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

VII.

Duas a te epiſtolas Bononiæ accepi: alteram quidem a te Ferrarienſibus Tabellariis datam, alteram vero Bononienſibus recta. Quarum primam quum accepi, detinebar morbo, non illo quidem gravi, ſed eo tamen, qui periculoſus videretur. Ejeci enim ſanguinem pluries frequentiſſimo ſputo; diſrupta, opinor, venula aliqua ad fauces. Habes igitur cur non reſponderim. Hanc autem vix accepi quum calamum ſumpſi continuo. Nec, ut ſoleo, cœpi in

adver-

adverſariis ſcribere. Accidit enim mihi ſæpenumero ut deſcribendi tempus poſtea non ſuppetat. Malo autem ineleganter ſcribere, quam omnino non ſcribere. Atque habeo quidem exemplum duarum fere ad te epiſtolarum, quas ad te mittere decreveram antequam Ferraria diſcederem. Sed quum ſcripſiſſem in adverſariis, non ſum toto menſe horam, qua deſcriberem, nactus. Verum deſcribam poſtea, ſi potero. Nunc tuis breviter reſpondebo. De Latinitatis igitur cauſſa tacebo equidem libenter, quoniam me non ſolum loqui non cogis, verum etiam prohibes. De tuis litteris idem ſemper prædicabo & elegantiſſimas eſſe & roboris plenas. Ad Oratiunculam meam quod attinet, me nimiis ornas laudibus, mi Clementine. Propoſitum tamen ampliſſimum certe eſt; quod ſi perſequi liceat, non dubito, quin plurimum Italiæ ſim profuturus. Hac autem laude velim credas me eſſe contentum. Ad proximas litteras quod attinet, optime quidem facis, quum Epiſtolam tuam de Martiale pateris edi in vulgus. Serranum autem arbitror urbane reſpondiſſe. Labbæum nondum vidi: (1) quem ut propediem videam, curabo. Ve-

E 4 rum

(1) Hic ille eſt Labbæus Selenopolitanus, qui præclarum Latinorum carminum volumen edidit hac inſcriptione: *De Deo, Deoque Homine Heroica*.

rum pro certo habe, tuas illi litteras redditas fuiſſe, quod mihi jam tum per Hiſpanum hominem, qui propterea ad me venit, nunciatum fuit. Vale, mi Clementine, & te digna ſcribe. Bononiæ V. Cal. Julias MDCCLXXVI.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

VIII.

Litteras a te una epiſtola trinas accepi, quarum quæ me maxime delectarint, ſatis conſtituere non poſſum; erant enim omnes cum amantiſſime, tum feſtiviſſime ſcriptæ. Illud tamen in prioribus moleſtum, quod te ſanguinem ejeciſſe narrabas. Quæ res ita me primo perculit, ut pœne animo conciderim: mox illa ipſa, quam adſcripſeras, cauſſa ſum paullulum recreatus, & quod videbam, te tranquillo atque alacri animo ſcripſiſſe. Et tamen uſque mihi curæ erit quid agas, donec iterum ex te ſciero. Omnino tibi perſuadeas velim, meam mihi valetudinem non eſſe tua cariorem. Reliquæ duæ epiſtolæ tam mihi jucundæ fuerunt, quam quæ maxime, quibus ſi caruiſſem, video quantum damni feciſſem. Tu ſemper ſic memento, ſi quid ta-

le

le alias acciderit. De libelli mei editione ad Serranum proxime dedi hoc exemplo.

„ *C. Vannettius T. Serrano S. D.*

„ Nunc ipſum tuas litteras accepi plenas ele-
„ gantiæ atque amoris. Te iſto eſſe animo, ut
„ opinionum diſcrepantiam nihil nec amicitiæ, nec
„ urbanitati obeſſe velis, valde me juvat. Quod
„ dicis, meis illis monitis minime opus fuiſſe,
„ adiunxeram equidem, ut mihi ignoſceres. Quod
„ ſcribis, te, quæ mandarim, omnia diligenter
„ ſtudioſeque curaturum, ago tibi, quaſi re jam
„ confecta, gratias ſingulares. Cognovi tamen e
„ Malfatti litteris, quæ cum tuis mihi ſunt red-
„ ditæ, Rinaldum eſſe occupatum, teque, ſi ſe
„ audias, Bononiam de ea re excurſurum. Omni-
„ no quidquid Malfattus ſuaſerit, id tibi uſque-
„ quaque faciendum cenſeo, & ut facias, oro.
„ Non eſt veri ſimile, mi Serrane, ubi de typo-
„ rum nitore agitur, quam ſim moroſus. De re-
„ liquo, nolim alium titulum inſcribi, quam eum,
„ quem tibi miſi; eſt enim, mea ſententia, ma-
„ xime rectus & Romanus. In quo ut morem
„ mihi geras, a te etiam atque etiam ſummopere
„ peto. In locis emendandis, annotationibuſque

„ ſu-

„ ſubjiciendis, quamquam neceſſe nihil ſit, iterum „ te tamen, ut ſis diligens, rogo. Si quid hoc „ intervallo inciderit, quod noſtra intereſſe putes „ me ſcire, fac me ſtatim vel ipſe, vel per Mal „ fattum, aut Georgium certiorem. Epigrammata „ tua non modo legi jam, ſed etiam relegi o- „ mnia: ex quo, quam valde mihi placuerint, „ intelligere potes. Verum de his plura quum plus „ otii. Ego nullas tuas accepi litteras præter quæ „ mihi hodie ſunt redditæ. Tu vide, cui dederis. „ Hæc tibi in palímpſeſto exaravi ambulans in Su- „ burbano propter pratulum; quibus vel plura, „ vel certe meliora haberes, ni me dies ipſe jam „ deficeret. Bene vale, mi amœniſſime Serrane, „ & me ama. IV. Id. Jul.

Si ergo iſtuc Serranus venerit, peto a te majorem in modum, ut ipſi & mea & ſua cauſſa, quantum tuæ occupationes patientur, cum in librarii delectu, in quo ſunt omnia, tum in totius rei curatione ſtudioſe adſis. Hoc mihi gratius facere nihil poteris. Cura, ut valeas XIV. Cal. Auguſti MDCCLXXVI.

VAN-

IX.

Dicite, Iö Pæan, & Iö, bis dicite Pæan!

QUo die Malfattus noſter ad nos venit, eodem, quum eſſet de te ſermo inſtitutus, & ille diceret ſe mirari, quod nihil ſcriberes, allatæ ei ſunt tua ſuaviſſimæ litteræ. Itaque ne quæras, quanta ambo ſimus voluptate affecti: equidem exſilui gaudio; jam dudum enim ſcire avebam & quid ageres, & quo loco negotium meum eſſet. Nunc igitur cognovi, te in ſummis, quibus undique premeris, occupationibus diligentem mihi operam navare in libelli mei foliis emendandis: atque adeo jam quartum a librario accepiſſe. Quam tantam humanitatem tuam quibus, quæſo, grati animi ſignificationibus proſequi poſſum? nulla enim verba reperio, quæ voluntatem in te meam ſatis declarent; ſed tamen ſic habe me & dolere vehementer, quod nulla etiam mihi bene de te merendi facultas data ſit, & ut aliquando detur, vehementiſſime cupere. Non mehercule, mihi crede, ullam rem tuo juſſu, tuaque cauſſa ſuſceptam aut difficilem, aut injucundam putabo: Quidquid manda-

daveris, quidquid negotii dederis, omnem curam, ſtudium, diligentiam in id ita conferam; ut intelligas, hominem, qni me tui amantior vivat, omnino eſſe neminem. Quod quam vere tibi affirmem, novit Malfattus noſter, quem quotidie provocare non deſino, ut aliquid mihi de te, tuiſque rebus narret, ut ſermonum, quos ſecum habere ſoles, jucunditatem, ut vitæ rationem, ut ſtudia commemoret, denique ut victum, habitum corporis, vultum ipſum accurate deſcribat. De quibus quum eum loquentem audio, tanta afficior voluptate, ut finem narrandi nullum fieri velim, etenim omnia in te eſſe præclara atque amore digniſſima intelligo. Quid quæris? uſque adeo exarſi, ut ipſum rogaverim, ut quum primum iſtuc redierit, imaginem tuam ad me mittat, cujus aſpectu, quando te ipſum videre non licet; quotidie oblectari poſſim. Utinam iſtic eſſem! quam ſtudioſe ipſe deſcriberem! Sed Malfattus promiſit, ſe mihi futurum morigerum. Tu quoque, mi Georgi, perge, ut facis, ſtudium mihi tuum atque operam navare, donec omnia, ut ajunt, facta & tranſacta ſint. Sed vide, ut tua iſta ſingulari humanitate pæne abutar. Marcheſanius noſter aliquam carminum συναγωγὴν meditatur, quam ad novum Tridentinum Epiſcopum mittat, inde enim lucelli aliquid ſperat.

Quo-

Quoniam autem mecum egit, ut ad amicos ea de re ſcriberem, te quoque interpellare viſum eſt, quem ſcio Ferrarienſes Poetas habere conſuetudine conjunctiſſimos. Pergratum igitur mihi feceris, ſi verſiculorum aliquid nobis corraſeris. Mitto autem commentariolum, ex quo Epiſcopi genus cognoſcatis. Plura ſcriberem, ni mihi jam ſuccenſeret Malfattus, qui meam in ſcribendo tarditatem ferre nullo modo poteſt. Atqui hic eſt mihi omni obſequio retinendus, ne, ſi ad ſolitudinis tædium acceſſerit indignatio, ſtatim hinc fugiat, noſque omni jucunditate, quam ex ejus conſuetudine maximam capimus, ſpoliatos relinquat. Quid enim hujus ſermone urbanius, quid feſtivius, quid dulcius fingi poteſt? Quo æquior tibi ſum, ſi ejus reditum tam valde exoptas, profecto enim ea voluptate cares, qua vita maxime ſuſtentatur. Verumtamen noli mihi brevem hanc oblectationem invidere, quum ipſe paucis diebus futurus ſis beatus. Scio datam tibi eſſe a Labbæo poeta ad me epiſtolam; hanc igitur una cum tuis litteris mittas te rogo. Sed ſcribe, quæſo, ſi potes, quam citiſſime, & quam inſtitutam habes ad me epiſtolam, eam, ut proxime feciſti, adſcribe, tua enim omnia vel imperfecta me juvant. Vale. VII. Cal. Octobris de Iſeriano.

GEOR-

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

X.

Vix dum proximas litteras ad te tabellario dederam, quum ecce Quiroſius (1) (debes enim noſſe hominem) ab urbe rediens tuas mihi reddidit amoris ſuavitatiſque pleniſſimas. Ex quibus profecto intellexi, quam me incredibiliter diligat Malfactus noſter: ex ejus enim ſermonibus factum eſſe arbitror, ut tanta benevolentiæ in me tuæ fieret acceſſio, quantam ex epiſtola tua facile conijcio. Ego vero, mi Vannetti, etſi neſcio, an Jeſuitæ ament, de quo etiam fortaſſe, quum ridere volet, Sobrinus tuus diſputabit, non permittam tamen ut me amore ſuperes, omnibuſque officiis amicitiam iſtam fovebo. Quod utinam tibi utiliorem operam in libello tuo edendo navare potuiſſem. Sic enim habeto, eos, qui irrepſeruut, errores multo majorem mihi, quam tibi moleſtiam attuliſſe. Quamquam ſunt ii, quos æquus lector fer-

(1) Joſephus Quiroſius Hiſpanus, juris & litterarum bene peritus, Chriſtini Bevilaquæ item hoſpes

ferre poſſit. Nam aut ſunt ita grandes, ut primo obtutu deprehendantur, aut ita exigui, ut vel acutiſſimam aciem facile effugiant. Itaque nullam aſferunt legentibus moram. Sed tamen hos quoque abſuiſſe velim. Abſuiſſent autem ſi ego adfuiſſem. Venio nunc ad illud de imagine, quod tam amanter ſcriptum eſt, ut pæne amatorie. Neque eo ſolum dico, quod imaginem quæras, ſed quod ita ſuaviter totam rem exprimis, ut nihil magis. Verum quid tibi, obſecro, in mentem venit? neque enim ego is ſum, cujus imagines conquiri debeant. Quare expectabis ſaltem dum Εγκυκλοπαιδεια edatur: tunc enim volitabimus per ora virum. Niſi forte me quaſi Orbilium aliquem pingere velis. Expectemne igitur, inquies, Græcas Calendas? Nam & Malfattum noſtrum, etſi ipſe mihi præcipuus totius Conſilii auctor fuit, ſcio tamen vehementius de rei hujus exitu deſperare. Quem tamen monebis nos in portu navigare. Nam quum ab editione dumtaxat imparati eſſemus, nunc Remondinius & Manfræus hanc ſibi quiſque provinciam demandari certatim contendit. Sperant enim ipſi quoque lucelli aliquid: & quidem multo plus quam Marcheſanius veſter: cui tamen verſiculos corradam, ſi potero. Scribam autem ad Vincentium Montium unum ſane, qui illuſtre aliquid promere hoc in ge-

ne-

nere poſſit. Quod ſi, ut ſpero, mihi morem geret, curabis ut Academiæ veſtræ adſcribatur. Eſt enim plane dignus. Sed jam ſatis opinor me tuis litteris reſpondiſſe. Malſatto non reſcribo, quem tamen puto adhuc tecum eſſe. Tu igitur illi ſalutem. Parenti vero tuæ lectiſſimæ & ornatiſſimæ feminæ & gratias ages quam maximas, & omnia a me officia polliceberis. Puelli mei, ſic enim illos Ferrius appellat, atque ille quidem tertio caſu, ſuaviſſimam tibi ſalutem dicunt, jubentque ut id tibi ſcribam. Etiamſi enim te de facie non noverint, ajunt tamen ſe eum te plurimi facere, tum etiam amare. Quæ quidem ſcripſi quum ipſi adeſſent & pæne dictarent. Tu velim mihi illas Bononienſes litteras mittas, quæ perierunt: puto enim te habere. Vale. V. Nonas Octobris MDCCLXXVI.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XI.

Duas Epiſtolas proxime abs te accepi, alteram quum adhuc Malſattus mecum eſſet, alteram poſtridie ejus diſceſſum, quo quidem ita ſum afflictus, ut lacrymas non tenuerim. Et tamen illud mihi in maximo dolore ſolatio erat, quod cogitabam, eum ad

te

te venire, ſperabamque fore, ut imaginem tuam quamprimum mihi deſcribendam curaret. Quamobrem noli mihi, mi Georgi, adverſari. Quod enim negas, eum eſſe te, cujus imagines conquiri debeant, primum iſtuc ipſum tui judicii non eſt, deinde, ut mortalium doctiſſimus non ſis, certe mihi es amicus: quæ una cauſſa, etiamſi doctrinæ opinio non accedat, quæ accedit ſcilicet, ſatis magna eſt, cur imaginem tuam tantopere deſiderem. At me jubes expectare ſaltem dum Εγκυκλοπαιδεια edatur: tu vero vide, ne iſto modo etiam Malfatti deſperationem confirmes. Quod ſi te ſtatim deſcribendum præbueris, oſtendes profecto, nullum tibi eſſe de rei exitu dubium. Quid ſi, inquis, non edetur? quid? an non magnum eſt vel tentaſſe? nonne qui tuam imaginem aſpicient, ſic quoque dicent, hic ille eſt, qui maxima deſignavit, ſi fortuna aſpiraſſet. Vel tuum conſilium, mihi crede, immortalis laus conſequetur. Nam quod Malfattus te in primis ad hoc impulit, idemque in præſentia deſperat, in altero more ſuo jocatus eſt, alterum ſerio facit. Quid enim? nonne ubi tecum ad ignem ſedit, novas litteratorum ſocietates deſignat, novas reſpublicas ordinat, novum denique orbem ſibi fingit? hæc autem omnia nonne ita explicat, ut ſi mox effecturus eſſet? nonne eo vultu, qui verus videatur? quid multa? gaudet,

 glo-

gloriatur, litigat, vel Clivio illi Anglorum ditiſſimo, tanquam hæres ſcriptus, mortem precatur. Et tamen nihil horum ſerio. Hunc tu igitur ex animo ſuaſiſſe tibi illam rem putas? Verum hæc haſtenus. Quod ad Montium ſcripſiſti, gratum eſt Nam de hujus ſingulari ad poeſim indole ſæpe apud me prædicare ſolebat Sobrinus meus, cui etiam diploma dedi, quo illum meo nomine impertiat. Dedi autem & faſciculum ad Tiraboſchium, in quo erat Diploma cum litteris, & noſtris illis de Latino Sermone diſputationibus; ardeo enim cupiditate incredibili hujus quoque tam docti hominis ſententiam cognoſcendi. Legi tuas inchoatas ad me litteras, plenas, ita vivam, elegantiæ, de quibus valde te amo. Nunc accipe viciſſim Bononienſes illas meas, quibus tamen & carere te facile patiebar, & vero poſſe arbitrabar. Vides, mi Georgi, ut tuas clauſulas imitari coner? Sed fruſtra, qui tantum ab iſta concinnitate abſim, ut aſſequendi ſpes nulla ſit. De reliquo velim ſcias, a. d. XV. Cal. Nov. prandenti mihi redditum eſſe unum libelli mei exemplum ſine ullis litteris, tantum mihi inſcriptum ignoto chirographo, meque adhuc neſcire, vel a quo, vel per quem. Suſpicabar autem, a te miſſum eſſe. Sed epiſtola tua fecit, ut multo incertior eſſem, quam antea. Quid quid ſit, quo vultu librum exceperim, conjicere

cere potes etiam me tacente. Non enim hoſpitem aliquem, ſed filiolum longo intervallo redeuntem cernere mihi ſum viſus. Magnam autem cepi animo voluptatem, poſtquam illum ab unguiculo ad capillum ſummum terſum atque expolitum vidi, multoque nitidiori veſte & cultu, quam dimiſeram. Itaque (ignoſces patrio amori) ſuaviſſime ſum ipſum oſculatus, & tanquam intellecturus eſſet, gratias tibi apud eum egi ſingulares, atque ut tibi acceptum ferret, quod viveret, quod eruditos cœtus adire poſſet, quod denique celebraretur, admonui. Sed ſatis nugarum. Mater mea ſalutem tibi refert quam cumulatiſſime. Puellis tuis (vides me *Ferriſſare*) in quibus miram eſſe feſtivitatem atque auream indolem è Malfatti mei prædicatione jam pridem cognovi, & gratias ages pro ſalute humaniſſime mihi miſſa, & meis verbis ſuavium dabis. Hanc epiſtolam te in urbe accepturum ex litteris tuis conjicio. Bono animo eſto, mi Georgi, jam jam enim aderit & Malfattus, quem hodie Ala profectum eſſe audiebam. Itaque licebit vobis revocare priſtinam conſuetudinem, priſtinoſque jocos, & illas ad focum quantivis pretii ſeſſiones, in quibus omnia veſtro arbitratu mutatis & conſtituitis, uno verbo, ſapienter inſanitis. Unum a vobis peto, ut quum una hallucinamini, mei mentionem interdum faciatis,

meque id ipſum cum maxime cogitare lætarique exiſtimetis. Tu etiam frequenter ejuſmodi litteras ad me mitte, quæ non ſolum amanter, ſed etiam amatorie ſcriptæ ſint; ſcio enim te, ex quo Ruſſoji Juliam legiſti, multum ex illa Jeſuitarum duritie remiſiſſe. Vale XI. Cal. Novembris MDCCLXXVI. de Iſeriano.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XII.

QUod mihi iterum ac ſæpius gratias agis, tibi profecto ſubiraſcerer, ſi id eo te facere arbitrarer quod id me velle ſuſpicareris. Nunc autem id excellenti naturæ tuæ tribuo, qua fit ut quidquid ab amico proficiſcatur, etiamſi leviſſimum ſit & prorſus amico debitum, magni tamen facias & eximia gratiarum actione dignum exiſtimes. Quapropter me pene cogis ut gaudeam me leviter de te eſſe meritum. Majora enim beneficia per ſe videntur grati animi officia excitare. Sed in minimis id totum ingenii eſt atque indolis. Sed heus tu! quoniam te mihi aliquid debere putas, quod certe nihil eſt, uſque ne adeo id mihi invides, ut me beneficiis obruas muneribuſque? atque ita ſane ut uter utri debeat, ne ul-

ullum quidem dubium reliquum ſit? Nam mihi Malfattus retulit, quantas mihi delicias deſtinaveris. Atque has quidem linguas pluris ego facio, quam Latinam. De qua tamen Tiraboſchius tecum ſentit, mihique plura ſcribit in eam ſententiam. Jamque ad te illum ſcripſiſſe ſcio. Sed iſtæ me linguæ revocant, & farina ſubnigra pultibus faciendis aptiſſima. Porro hanc addictis quam amantiſſime. Noli tamen exſpectare dum tibi gratias agam. Vereor enim ne conſuetudinis tuæ oblitus eo me nomine accuſes, quo ego te hujus epiſtolæ initio prope accuſabam. Verumtamen ſic habeto; quamquam ab amiciſſimo quoque officiis vinci facillime patior, me nihil eſſe prætermiſſurum, quominus diligentiſſime tibi operam navem. Id jam amor in te meus ſuo jure expoſcit poſtulatque. Sed jam finem facio; plura enim meditatus ſum de re omnium difficillima, libertate; quæ niſi pagellæ tradidero, timeo ne excidant. De his colloquutus ſum cum Malfatto cum ſæpe, tum hodie veſperi quam diutiſſime. Quæ ſi cæteris ea videntur, quæ nobis, ſper o fore, ut mihi philoſophi gratias agant. Hæc mihi ſemper obverſabantur quum ſcriberem. Noli igitur mirari cur ſcripſerim deterius etiam fortaſſe quam ſoleo. Vale. IV. Cal. Januarias. MDCCLXXVI.

VANNETTIVS GEORGIO S. D.

XIII.

Tu vero pertinax es, mi Alexander, qui quum ipſe Tiraboſchius mecum ſentiat, ac linguam latinam recentem numero, proprietate, ambitu veteri illi ſimilem judicet, tamen eam ita contemnas, ut bubulas linguas pluris facias. Itane tandem? hoc ad me ſcribere auſus es? quamquam non ſum adeo fatuus, ut non intelligam, te iſta laxandi animi gratia dictitare, quum victoria tibi mea magnam attulerit moleſtiam. Itaque non agam tecum ſeverius, ne augeam dolorem tuum. Illud tamen victor a victo meo jure petam, ut quas litteras proxime Tiraboſchius ad te dedit, earum exemplum ad me mittas: Ac ſcripſit ille quidem ad me & humaniſſime & multis verbis; ſed ad eam quæſtionem quod attinebat, etſi ſe mihi aſſentiri affirmabat, nihil tanen addebat, præter pauca quædam de noſtra pronunciatione: reliqua ſe tibi pridie ſcripſiſſe ajebat. Verum quid iſta? ipſam enim Epiſtolam tibi ſubjeci. De munuſculis, tantum abeſt, ut ullam gratiarum actionem a te poſtulemus, ut præclare nobiſcum actum iri arbitremur, ſi ejuſmodi nugas pro tua perpetua ac ſingulari humanitate boni conſulueris,

ris. Nunc mitto ad te meam quandam recentem lucubrationem, &, ut Plinii verbo utar, adhuc *muſteam*. Etenim hoc proximo menſe quum a. d. VI. Cal. Jan. futurus eſſet conventus litterarius, ipſe autem cogitarem quid potiſſimum argumenti ſumerem ad ſcribendum, nihil aptius, nihil honeſtius duxi, quam ut Hieronymi Federicottii Socii noſtri, qui diutino conſumptus morbo paucis ante diebus erat mortuus, brevem laudationem exararem. Cum enim exſtimabam, me id amico prorſus debere, tum optimum mihi videbatur hunc morem in Academiam inducere, ut eorum Sociorum, qui vitam ſilentio non exegiſſent, memoria litteris mandaretur. Quæ conſuetudo & apud probatiſſimam quamque Academiam viget, & Hiſtoriæ litterariæ mirum in modum eſt utilis. Hæc igitur laudatio ea eſt, quam ad te mitto, non quo digna magnopere ſit, quæ a te legatur, ſed quod tamen eſt ejuſmodi, ut ex ea intelligere poſſis, quam juſta Malfatto noſtro dolendi cauſſa fuerit, quum de Hieronymi morte ex meis litteris cognoviſſet. Fac enim tibi perſuadeas, huic ſcriptioni, ut abſit elegantia, veritatem certe non deeſſe, eique me omnia, nihil nec amicitiæ, nec propinquorum gratiæ dediſſe. Sed captus voluptate ſermonis longius proceſſi, quam oportebat ſcribentem ad hominem plurimis & graviſſimis occupatio-

 nibus

nibus diſtrictum, & qui adhuc fortaſſe in definienda explicandaque libertate totus ſit. Quam quidem libertatem eam eſſe arbitror, quæ a Teologis *liberum arbitrium* appellatur, de qua tot controverſiæ ſunt, vel dicam, tam magnæ tenebræ. Reliquum eſt, ut te rogem, ut pergas amori huic meo reſpondere, tibique affirmem, nihil te facere poſſe, quod tuam erga me voluntatem illuſtrius mihi declaret, quam ſi creberrimas ac longiſſimas litteras ad me dabis. Etenim ſcias velim, ex tuis litteris non modo Conſtantinum Laurentium ingenioſum adoleſcentem, ac Studiorum meorum adiutorem, de quo fortaſſe tibi narravit Malfattus, ſed etiam me ipſum Latini ſermonis elegantiam ſtudioſe diſcere, qua profecto ita excellis, ut te Ciceroni proximum, Manutiis & Zanottis parem, cæteris ſuperiorem habeamus. Saluta Malfattum, Quiroſium, Barottum, & vale. VI. Id. Jan. MDCCLXXVII.

Hieronymus Tiraboſchius Cl. Vannettio ſuo S. D.

XIV.

Quod ad humaniſſimas litteras tuas Idibus Octobris datas reſponſum hactenus diſtulerim, nolim, Vannetti ſuaviſſime, aut tarditatem meam aut negli-

gligentiam accuſes. Jam pridem Georgius noſter me admonuerat, nonnihil ſe a te recepiſſe, quod ad me mitteret; ſed hominis neſcio cujus incuria effectum eſt, ut vix paucis abhinc diebus faſciculus ille ad me deferretur; quod eo magis moleſte tuli, quo gratiores mihi litteræ tuæ acciderunt. Quid enim jucundius mihi eveniret, quam ut in celeberrimam Academiam iſtam veſtram ultro cooptarer, cui clariſſimi ex tota Italia viri ſe adſcriptos gloriantur? Id porro tibi me uni debere prorſus intelligo; quantumque me tibi tuo hoc beneficio obſtrinxeris, explicare verbis vix queam. Gratiſſimum vero facies, ſi Academicis omnibus meo nomine ſignifices, honorem hunc maximi a me fieri, ac nihil optare me magis quam ut non indignus exiſtimer, qui eorum cœtui nomen dederim. Venio nunc ad diſertiſſimam tuam cum Georgio diſputationem, quam ſumma cum voluptate perlegi. Tu quid ego ſentiam, exquiris. Ego vero ſincere ajo, quod etiam heſternis litteris ad Georgium ſcripſi, me tecum plane ſentire: ita mihi viſus es ingenioſam illius argumentationem omnem elidere, atque Italorum hominum latine ſcribentium cauſſam tueri. Ad ea porro, quæ egregie diſſeruiſti, pauca hæc addi poſſe videntur. Noſtram hanc, qua utimur, pronunciandi rationem aliam eſſe quam qua Romani uterentur, negare non auſim:

nec

nec tamen adeo inter ſe utramque diſtare arbitror, ut Georgius contendit. Video enim quæ Quintilianus, cæterique Grammatici veteres, de Scriptorum ſtilo affirmant, nobis etiam experientia probari. Sonantem illi Ciceronem affirmant, preſſum ac ſalebroſum Salluſtium, fluentem Cæſarem, Tibullum Propertio dulciorem. Atqui hoc ipſum auribus ipſi noſtris percipimus, cum hoſce auctores legimus, ac monemur proinde noſtram pronunciandi rationem non omnino a vetere illa diſſentire. Quid, quod non nulla Virgilii carmina ab illo, ea arte confecta accepimus, ut, quod referret, ipſo carminis ſono exprimeret? exemplo ſint illa: Ergo ægre raſtris *&c.* Quadrupedante putrem ſonitu *&c., ac plura hujuſmodi alia. Hæc vero carmina ſic omnino noſtris auribus ſonant, ut propoſitum fuiſſe Virgilio ab antiquis accepimus. Hæc ego ad Georgium contra Georgium ipſum ſcribebam; ac nonnulla præterea alia, quæ ne iterum ad te ſcribam, & anguſtiæ temporis, & ipſa, quam mihi impoſuiſti, latine ſcribendi lex vetat. Quamvis enim Latine æque ac Italice olim ſcriberem ſi non eleganter, certe facile, nunc poſtquam Italice tantum pluribus abhinc annis ſcribere coactus ſum, videor mihi Latini pæne ſermonis oblitus. Adde fœdiſſimam medii (ut dicimus) ævi ſcriptorum barbariem, in qua me diutius verſari hiſtoriæ meæ*

ra-

ratio coegit; quæque me ipſum barbarum fere reddit. Vale, Clementine ſuaviſſime, meque ingenium ac mores tuos amantem maxime ama. Mutinæ V. Id. Decembris MDCCLXXVI.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XV.

VElim mihi credas, Clementine ſuaviſſime, de lingua Latina eſſe me prorſus ſecuro animo, vel eo ſenſu, quo ſic ad Atticum, ut opinor, ſcribit Cicero, vel eo etiam ut intelligas, nihil me de hujuſmodi victoria eſſe ſollicitum. Quin ſi me a nova hac, in qua eram, ſententia ad veterem illam meam me abducatis, vobis etiam gratias agam. Quum enim mihi vel adeo blandiaris, ut me Manutiis Zanottiſque parem facias, jam me, quæ communis eſt φιλαντία, putabo vere eſſe aliquid. In quo tamen cave, ne meas epiſtolas apud Tironem iſtum tuum plus æquo commendes. Quum enim ſcribam prorſus, quidquid in ſolum, neceſſe eſt ἄκυρα me multa ſcribere, quæ ſi ex adverſariis deſcriberem, fortaſſe emendarem. Malo autem, ut ſæpius te admonui, frequentius ſcribere quam accuratius. Nunc quoniam Tiraboſchianæ epiſtolæ exem-

exemplum deſideras, illud ad te mitto. Plura ille, ut videbis, de numero: aliqua etiam contra illud argumentum, quod ex vivis, ut ajunt, linguis deſumpſeram. Quid quæris? Egregie omnia, ut ſolet. Sed nunc judicium meum de Hieronymi Federicottii laudatione cupidiſſime expectas. Ita ne vero? Nam fortaſſe dubitas quale iſtuc futurum ſit. Tu vero ſic habeto, nihil unquam elegantius eſſe ſcriptum. Ego vero cum ſæpe ipſe mecum, tum legi etiam in hemicyclio ad focum quum & Serranus adeſſet & alii plures. Ille vero, tam ſimilis, inquit, Cornelianis videtur quam ovo ovum. Cui ego: cave, inquam, Serrane, ne ſuperſtitioſe judices. Jam intelligis, opinor, quid ſentiam. Quod ſi illud etiam ſcire vis, cur vero ita ſentiam, hæc accipito. Ad latinitatem quod attinet, ſi tu & Tiraboſchius vera judicatis, quid ſequatur, vides. Sed ſtilus exſurgit & quaſi effloreſcit ex pluribus. In his Nepos aliquando peccat, ſæpe tantum non peccat. Tu vero ita Nepotem imitaris, ut in ejus vitia non incurras. Abundas autem petitis ex philoſophia ſententiis, ut Nepos fortaſſe in Attico. Sed Federicottium tuum vel Attico ipſi oppoſuerim. Quin tu laudationem iſtam ad Fabronium mittis, quam ſuis Decadibus inſerat? Vel etiam tu ipſe decadas aliquas confice &

in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In lucem ede. Jam ſi Fabronium minus noſti, uti poſſes fortaſſe Carlio, (1) cujus tibi amicitiam gratulor. Montianum poemation gaudeo tibi probari. Atque hic quidem adoleſcens ingenio eſt ad poeſin maxime idoneo. Hoc autem genere in primis delectatur, quos *Viſus* appellat. Legi autem ab illo meliora. Sed hoc etiam iis laudibus dignum eſt, quibus tu illud proſequeris (2). Judicium tuum totumque conſilium narravit illi Malſattus veſperi, juſſitque eum ad me venire, cui ego & epiſtolam tuam legam & diploma tradam. Περὶ τῆς Ἐγκυκλοπαιδείας te jam bene ſperare & gaudeo & volo. Quum tamen ejus exitum ita certum habes, ut recentis latinæ linguæ cum vetere illa abſolutam ſimilitudinem, in alterutro video me viciſſe, in utro neſcio. Malim quod ad Ἐγκυκλοπαιδείαν attinet. Jam

(1) Hieronymus Carlius Senenſis, qui Mantuanæ Academiæ eſt a ſecretis, vir omni eruditione cumulatiſſimus.

(2) Hæc ad aliam Epiſtolam pertinent, quæ huc inſerta non eſt. Porro hoc Montii poemation ad Petrum Thunnium Epiſcopum Tridentinum, prodiit primum Vicetiæ in Actis litterariis anno MDCCLXXVII. iterum Romæ tertio Liburni hoc anno MDCCLXXIX

Jam libertatem eam ego ipſam intelligo, quam conjiciebas. Quî enim melius apellem neſcio. Eſt enim vocabulum apud Latinos πολιτικότερον: ſed ex iſta ipſa civili libertate ad ψυχολογικὰ translatum eſt, *Liberum* autem *arbitrium* ſcio apud Livium legi. Sed, arbitror, alio ſenſu: neque tamen memini. Jam quum Galli, Itali, Angli inflexo juxta ſuæ quiſque linguæ morem vocabulo libertatem appellent, hos ego etiam latine ſequebar. Immo potius id ſcripſi quod ſe ſponte calamo obtulit, nec tamen fortaſſe deterius. Rectiſſime autem judicas de hac tenebras potius eſſe quam controverſias: quibus nos conamur aliquod lumen afferre. Sed quis nobis exitus poſt tot ſummos viros futurus eſt? niſi ſi eorum errores nobis monſtrent viam. Illud certe ſequimur, ut quum theologos agamus, meminerimus hanc ſcientiam partem eſſe philoſophiæ: quumque primum locum certiſſimæ ſummi illius Dei auctoritati dederimus, proximum rationi demus, theologorum vero quorundam ſomniis nullum omnino relinquamus. Nam plura ſæpe populus credit, quam debeat: in his multa, quæ ſi ad rationis obruſſam exigas, probari non poſſint. Quæ enim Deus ipſe dixit, aut rationi omnino conſentiunt, aut ea ſunt, ut ratio ipſa perſuadeat intelligi clarius non poſſe. In hanc autem rem ſcri-

pſi

pſi aliqua de primæva illa culpa, cujus damni participes ſumus. Quæ ſi quando legeris, videbis quam longe Eccleſiæ ſenſus (hæc enim Dei interpres eſt) a quorumdam opinionibus diſtet. Eſt autem ex hujus ignoratione offenſio & invidia apud philoſophos quaſdam maxima, quos ego errore abripi puto magis, quam ſcelere. Sed hæc hactenus. Video enim me nimis θεολογεῖσθαι. A Malfatto arbitror te litteras accepiſſe. Ille tibi ſalutem ſuaviſſime adſcribit. Præterea Barottus, Quiroſius, pueri. Ego vero, mi Clementine, amo te incredibiliter, meque a te amari incredibiliter gaudeo. Vale etiam atque etiam. XIII. Cal. Februarias MDCCLXXVII.

H. Tiraboſchius A. Georgio S. D. (1)

XVI.

Tandem accepi faſciculum tamdiu exſpectatum. Itaque cras per litteras Vannettio gratias agam, atque ejus epiſtolæ, quæ eodem conjecta erat, reſpon-

---

(1) Has litteras Tiraboſchius Italice ſcripſit, nos Latine convertendas eſſe cenſuimus, & quod de Latina lingua ſcriptæ eſſent, & ut rite cæteris adjungi poſſent.

ſpondebo. Epiſtolam tuam, quam de lingua Latina ad eum ſcripſiſti, atque illius ad te reſponſum magna legi cum voluptate. Quod ad quæſtionis ſummam attinet, ingenue fateor, ſententiam tuam non omnino mihi probari. Nam recentem Latine pronunciandi rationem valde quidem a Romana diſtare arbitror, tam valde, quam tu contendis, non arbitror. Habemus Antiquorum judicia de quibuſdam eorum æqualibus; ibi alium dulcem, ac ſuavem dici videmus, numeroſum alium, alium duriorem, ſtrigoſioremque. Quam autem his ſonum talium Auctorum lectio reddebat, eundem fere & nobis reddit, ſic, ut etiam ſi judicia illa non legerimus, optime tamen intelligamus, ſonantem eſſe Ciceronem; fluentem Cæſarem, preſſum Salluſtium, Tibullum Propertio dulciorem. Accedit eo, quod, exempli cauſſa, in aliquot Virgilii verſibus numerum invenimus eum ipſum, quem ex Antiquis ſcimus eum de induſtria quæſiviſſe. Ita ubi accepimus, gravem aut triſtem eſſe voluiſſe, gravitatem, triſtitiamve; ubi autem rapidiorem, celeritatem impetumque agnoſcimus. Noſtra igitur pronunciandi ratio non ita valde a Latina differt, ut non bonam Romanæ harmoniæ, Romanique ſoni partem etiam retineat. Poſtremo ſic ſtatuo, nobis, ut pronunciatione a Latinis maxime differamus, eorum tamen harmoniam,

vel,

vel, ſi mavis, numerum licere nihilominus imitari. Legendo enim, exempli gratia, Ciceronis ſcripta, & conſtructionem collocationemque verborum inſpiciendo, aurem, indeque ſtilum ad eundem illum formamus numerum, quem ipſa nobis referunt, eumque ſcribendo imitamur. Quum autem noſtra legemus, ita ea recitabimus, quemadmodum ſolemus Ciceroniana; atque hic quidem ſonus idem non erit cum illo, qui e Romanorum ore exibat; ſed alter alteri erit ſimilis, ſic, ut ſi Romanus aliquis huc ex Inferis rediret, aliter quidem, ac nos, legeret; cęterum ipſe quoque inter noſtrum & Ciceronis ſtilum harmoniæ ſimilitudinem reperiret. Neſcio, an hæc perinde explicaverim, atque ego ipſe cogitans ſentio. Sed plura ſcribendi non eſt otium. Nam ad linguam ipſam quod attinet, ad ea, quæ tibi reſpondit Vannettius, quæ mihi probantur unum addam. Ais enim, ſi ea lingua ſcribamus, quæ ore uſurpetur, velut Gallica, ſtatim ab iis, qui in ea lingua nati ſint, multos errores in noſtris ſcriptis deprehendi; quod idem futurum exiſtimas, ſi Romani reviviſcerent. Sed quæſo, fac, cogites, vivas quas vocant linguas vulgo æque coli, atque latinam. Quum enim tantum didicimus, quantum ad intelligendos earum ſcriptores ſit ſatis, nihil quærimus amplius. Quod ſi majorem iis curam impendere quis vellet, peritiæ laudem

etiam ab illis conſequeretur, qui tales linguas cum lacte ſuxiſſent. Ita Orationibus Gallice ſcriptis multa præmia homo Italus eſt Cerutius adeptus, Regnerius autem Maraltius in Etruſcæ linguæ Academiam cooptatus eſt. Data VI. Id. Decembres. Mutinæ.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XVII.

TE & crebriores & longiores, quam ſolebas, ad me dare litteras mirabiliter gaudeo; cum enim ſtilus me tuus delectat, tum illud in primis, quod majore in dies ſtudio videris erga me eſſe. Noli enim me tam ineptum putare, ut eloquentiæ plus tribuam, quam amori. Quod etiam ſi ita non eſſet, tamen ſimulare apud te deberem, quum in altera te provocare non poſſem, in altero poſſem etiam fortaſſe vincere. Sed, mihi crede, non ſimulo; nec tantam unquam voluptatem ex tua iſta ſcribendi elegantia cepi, quin longe majorem ex diligentia, ſtudio, benignitate perceperim. Cujus rei quotidianus mihi teſtis eſt Tiro (ſic enim appellas) apud quem multis quidem laudibus facundiam tuam proſequi ſoleo, infinitis vero humanitatem, ſuavitatemque. De quo quidem Tirone timidius pro-

profecto ſcripſiſti, quam te decebat. Quin tu eſto otioſo animo, neque hac cauſſa a tuo propoſito vel tantillum recede; narro enim tibi, ne antiquum quidem Tironem, ſi ex inferis exiſteret, quidquam in tuis epiſtolis reprehenſurum. Tiraboſchii ad te epiſtolam ſumma cum voluptate legi, quum & meas rationes in ea probaret, & ipſe alias adjungeret ſane ſubtiles & firmas, quarum cumulo cauſſa omnis veſtra jugularetur. Jam illud præclare, eundem nobis cujuſque auctoris ſtilum videri, ac veteribus videbatur, ipſumque illud auctorum artificium, quod certo verborum ſono continetur, a nobis intelligi. Qua de re multa jampridem legi apud Rollinium in primo de amœniorum litterarum diſciplina. Sed Tiraboſchius ita liberalis eſt, ut concedat vobis, noſtram pronunciationem a veteri quam maxime diſtare; adeo porro ſtrenuus, ut etiam hac ſublata, veram antiquæ harmoniæ imitationem ſartam tectam tueatur. Nam illud quidem argumentum, quod e linguis, quæ hodie vigent, deprompſeras, uno verbo refellit, quum veriſſime dicat, eas linguas non æque ſolere coli, atque latinam. Ubi quum Regnerii fiat mentio, addendus profecto eſt Menagius, qui & ipſe in Etruſcæ linguæ Academiam cooptatus eſt, magnumque noſtrarum litterarum lumen vulgo habitus. Quid igitur

aliud reſtat, niſi ut triumphemus? Sed nolo te irritare. Facilis enim tibi eſſet vindicta Hiſpanæ cauſſæ ſummam conficienti. O nuntium mihi jucundiſſimum! (1) & quidem quum hæc ſcriberem, putabam te perfeciſſe. Quin tu, ſi me amas, vel potius, quando me amas, exemplum ſtatim ad me mitte; ſtatim, inquam, vix enim apud me ſum præ cupiditate. Tiraboſchii clementiam, totamque rationem tuam mirifice probo. Et recte tu quidem quid opus ſit, vides, neque tamen non eadem ego antea cogitaram, ſed cupiebam ex te ipſo audire. Quod Federicottium meum Attico opponis, vide quid agas. Equidem hanc laudem nec unquam a quoquam ſperaſſem, nec in præſens adduci poſſum, ut agnoſcam. Nam quod hortaris, ut ipſe decadas aliquas conficiam, ego vero jam dudum id volvo, ſed majori otio opus eſſet. Attamen curabo, ut ex aliis occupationibus ad hoc ſcripturæ genus me identidem referam, donec juſtum volumen effectum ſit. De Theologia quæ diſſeris, ea mihi ita probantur, ut nihil ſupra. Nam quod ea te illuſtraturum deſperas, quæ tot ſummi viri non po-

(1) Hæc pertinent ad aliam Georgii epiſtolam, quæ hic non reperitur.

potuerunt, modeſte tu quidem; ſed cogita, hoc in omnibus artibus accidiſſe & accidere, ut unus denique inveniat quod omnes fugit. Noli ergo ingenium iſtud aſpernari, quod tibi fortaſſe in hanc rem iſpam eſt datum. De reliquo, *liberum arbitrium* eo ſenſu Livius dicit, ut non abhorreat ab ejus *libertatis* ſimilitudine, quæ a Deo nobis data eſt. Sic enim ait libro Hiſtoriarum trigeſimo ſeptimo: *liberum arbitrium pacis ac belli Quintio permiſſum*. Salutem a me dic quibus ſoles, Antonio etiam Teſtæ (1) ſuaviſſimo, doctiſſimoque adoleſcenti, quem amo quidem ſingulariter. Vale. Prid. Cal. Februarias CIↃIↃCCLXX.VII.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XVIII.

VIctoriam iſtam libentiſſime tibi concedo. Sed tu tamen dubitas etiam non repugnante & concedente me. Quid ſi cauſſam tueri pergam? Nam pro-

(1) Antonius Teſta Curionus Ferrarienſis, ſingularis ingenii, magnæque ſpei adoleſcens, idemque & poeticæ ſtudio, & medicinæ ſcientia illuſtris.

profecto Regnerium iſtum & Menagium , recentes delectus veſtros , non magnopere reformidarem : quorum ego neutrum legi : ſed memini tamen de alterutro legiſſe me , puto apud Baylium , gratiæ cauſſa ab Etruſcis fuiſſe cooptatum . Quo in loco additur , hunc auctorem & Gallico ſermone minus accurate , & Etruſco etiam deterius ſcripſiſſe . Jam ſi nunc Tullius , Cornelius , Livius ex inferis excitarentur , Latinæque linguæ Academiam inſtituerent, qualis eſt in Etruria noſtræ , non dubito , quin te continuo , quin Zanottum cooptarent . Immo vero ne me quidem (vide enim quam me tuæ laudes efferant) fortaſſe rejicerent . At in me certe longe plura reprehenderent , quam tu , quam tuus iſte Tiro , quem ego ſcriptorum meorum κάνονα eſſe non recuſo . Niſi forte & ii vellent blandiuſcule agere , noſtraſque laudes remunerari quam ſimillimo munere . Quod tu quæſo ne facias . Fieri enim profecto non poteſt , ut quas litteras ita ſcribo , ut *turpem putem metuamque lituram* , nihil in iis notari poſſit . Tu vero me putidum dices , qui toties hæc recinam . Quid enim faciam , quando me cogis ? Ego ſummam nondum confeci . Ac neſcio quidem , an ſim ad te miſſurus . Nam neque cuiquam facile deſcribendam committam , & ipſe , ne deſcri-

bam ,

bam, pigritia deterreor. Linguas, farinas, Cicerones (1) expectamus. Vale. IV. Id. Febr.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XIX.

AUt breves a me hodie litteras accipias neceſſe eſt, aut nullas. Puto autem, te breves malle: eoque magis, quod Robertii elegantem oppido epiſtolam tibi miſſurus ſum, quæ mearum litterarum brevitatem compenſet. Tu, ſi velis, Robertio ſcribes. Arbitror enim, hoc illi gratum futurum. De Æmilio tibi gratias ago. Verum, mi Clementine, nimis amori indulſiſti. Quod ne exiſtimes modeſtiæ eſſe, id ipſum Malfatto videtur. Has enim laudes nec certe mereor, nec ſi mererer, opportunum tamen eſſet me a te apud Æmilium tam prolixe laudari. Parce igitur, amabo te, ſi quando de me ad alios ſcribis. Quod ſi tuus te amor cogit ut me laudes, me apud me ipſum lauda:

(1) Hoc eſt, aliquot exempla Ciceronis epiſtolarum, quæ in uſum Gymnaſii Roboretani editæ ſunt anno MDCCLXXVII.

quod certe facis. Verum dicebam, me brevem fore. Unum addam, veniſſe ad nos Ciceronem integro commeatu & incolumi. Farinæ gravius aliquid accidit, coqui fortaſſe inſcitia. Linguas deguſtavimus, quæ ſane Latina ſe potiores præbuerunt. De quibus tibi jam ſcripſi, nolle me tibi gratias agere. De Tulli vita quid expectas? aureo ſane ſtilo ſcripta eſt, uti ſoles. Eam pueri interpretati ſunt. Unum fortaſſe reprehenderem; nimiam ſcilicet brevitatem: neque tamen pueri, quibus illam ſcripſiſti, plura requirebant. Oratiunculam, quam habes in manibus, ad me mittas velim. Tironi tuo meis verbis ſalutem dices. Vale. VI. Cal. Martias.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XX.

Nihil profecto elegantius a Robertio ſcribi potuit, nihil humanius, nihil mihi honorificentius. Quid quæris? exſilui gaudio. Tu mihi ſcribes, an epiſtolam ejus αὐτόγραφαν tibi remitti velis, de qua valde te amo. De meis ad Æmilium litteris, me cogere non potes, ut de te aut non ſentiam quod re appareat, aut non ſcribam quod ſentiam. Ecce

autem

autem ab iſto litteras! exemplum tibi ſtatim deſcripſi. Deſperat homo ſcilicet, ut ſolet, paullo tamen minus, quam ſolet. De reliquo, nec nihil pollicetur, nec tamen propriam ullam provinciam ſuſcipit. Excuſat autem cum occupationes, tum valetudinem, qua quidem ſcio ipſum uti non bona. Nihil igitur profeciſti, inquis: nihil, & ea re fidem meam liberavi, nam prædixeram. Sed male ſit iſti Coquo, qui noſtratem polentam in exiſtimationis periculum adduxit: at tu, ſi qua fides, cave, quidquam ſuavius putes, ita adeo, ut, quod ait ille apud Plautum, in ejus odorem vel Jupiter cœnare poſſit. At ſcio, Malfattum meum divinitus pro ea, tamquam pro Clientula, *toro ab alto* peroraſſe, ſed nihil profeciſſe. Vos enim ex illorum grege eſtis, qui de quaque re non ex vero, ſed ex eventu judicant, qui perſæpe mentitur. Sed quando præſcriptum miſi, quod in Culina feratis & figatis, ſpero, fore, ut ſi Coquus id ipſum ſequatur, res bene procedat. Quod ſi fiet, diſcetis palata noſtratia paullo pluris facere; neque tamen Apicianam hanc laudem, ſi ſit opus, ægre vobis concedemus, ſiquidem nullo modo ſequitur, ut quibus palatum ſapiat, eis ſapiat & cor. Sed ſatis nugarum. Ita, ut dicis, Tullii, vitam pueri utique ſcripſi, hiſque ſciebam, nihil eſſe bre-

vi-

vitate gratius. Et ſane quid adderem? an Catilinariam, an Clodianam, num Pompejanam hiſtoriam? an cæteras turbas, & controverſias, quæ etiam ſi ſummatim perſtringantur, tamen propter difficultatem non poſſunt non tædio eſſe pueris? id igitur ſpectavi unum, ut Tulli animum exprimerem; quod tamen ipſum an aſſequutus ſim, neſcio. Quod Oratiunculam, de qua ſcripſi, vis ad te mitti, mittetur ſcilicet tum, quum erit perfecta, quod ante menſem Junium futurum non arbitror. Vale. VIII. Id. Martias.

Scripta jam Epiſtola, accepi & a Malfatto, & a Teſta litteras, quæ me admodum delectarunt. Tu, quantum audio, Federicottium meum evulgaſti; nam Teſta miris eum laudibus tollit. Malfatto reſcribam. Teſtæ optimo atque humaniſſimo a me gratias ages.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXI.

SAne quum numquam fere plura habuerim, quæ ad te ſcriberem, tum nunquam minus otio abundavi. Perſtringam igitur ſummatim quæ potero. Munuſculum tuum tam gratum mihi fuit quam

quod

quod gratiſſimum. Nam & ſingularem quamdam benevolentiam mihi præferre viſum eſt, & libelli ipſi elegantes ſane ſunt atque eruditi, & quum ejus imaginem referant, (1) cujus ipſe imago es, vel ea de cauſſa mihi in deliciis ſunt. Percurri igitur fere omnes, imo legi. Hic neceſſe eſſet remunerari te quam ſimillimo munere. Verum nihil mihi præſto eſt, niſi ea Zanotti Epiſtola, quam tantopere optabas. Hanc igitur tibi mitto, eamque certo ſcio tibi gratam futuram. Nam etſi a quæſtione ipſa (2) penitus inveſtiganda alienus eſt Senex, de te tamen pronunciat ea quæ ſumma ſunt. De Mutinenſi ſumma intellexi quam me ames (3). Sed nolim te amore abripi uſque eo, ut tantis laudibus extollas rem & genere ipſo tenuem, & ſcribendi ratione ad ſummum mediocrem. Neque hoc modeſtia dico. Quære a Malfatto, quam me facile laudem. Sed ut ego æquus rerum mearum laudator mihimet ipſi videor, ita amicorum laudes ab juſtitia declinare in neutram partem facile patior.

---

(1) Erant enim libelli quidam Joſephi Vannettii Clementini Patris.

(2) Intellige quæſtionem de Martialis poeſi.

(3) Ex epiſtolis ad Malfattum hæc Georgius cognoverat.

tior. Nunc reliqua breviter. Petrus Leopoldus opus (1) ſibi & Ferdinando Fratri προσφονεῖν velle me, in optimam partem accepit: & vero iis verbis, ut id illi videatur fuiſſe gratiſſimum. Edetur igitur ſpecimen utrique inſcriptum. Fulvio libros dabo & imaginem etiam, ſi per Pictorem licebit. Hominem reperi & ſuavem & honeſtum. Vale, mi ſuaviſſime Clementine, tibique perſuade, me a te amore non vinci. Iterum vale, Matrique optimæ & ornatiſſimæ ſalutem dic meo nomine. Idibus Aprilis.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXII.

Etſi paucis ante horis Fulvio dixerim, me nihil ad te litterarum dare, tamen ne mihi, vel ipſi etiam, qui me non coegerit, ſubiraſcaris, hoc neſcio quid albente prope jam cælo exaravi. Quare ſi ſermone utar illo vetere Saliarium, puto, carminum, quæ ipſe etiam reprehendit Horatius, noli ſane mirari. Sed hactenus. Jam a Fulvio libelli tui exempla accipies ſexaginta: mei illius gram-

(1) *Encyclopædiam*.

grammatici octo. Ad hæc Bandii *diem ruſticum* (1), ſic enim appellare maluit, quam illo ab aſinis ducto vocabulo. Cui quidem ejuſdem poetæ & mihi amiciſſimi, & ſane elegantis carmina præterea quædam adjunxi. Aldinii librum habebis (2). Reſtat, ut de mea imagine dicam. At quam diligenter adumbrata ſit, tute ipſe videbis: quam me fideliter referat, poteris e Fulvio cognoſcere. Hoc unum ſcias velim, me vultu eſſe aliquanto hilariore. Cavebis igitur, ne te iſta ſeveritas in errorem inducat, meque arbitreris ϑεολογικῆν quandam acerbitatem præ me ferre. Tu plura de nobis ex eodem Fulvio cognoſces humaniſſimo homine & liberali, cujus conſuetudine libentiſſime uſi ſumus. Nunc me ſomnus admonet ut finem faciam. Ac ſcripſi profecto ſomniculoſe. Valetudinem tuam cura diligenter. Orationem gymnaſticam exſpecto. Vale & ſalve. X. Cal. Majas.

VAN-

---

(1) *Giornata Villereccia Poemetto in tre Canti.*

(2) *De varia Latinæ Linguæ fortuna. Ceſenæ.* CIↃIↃCCLXXV.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXIII.

Biduo poſtquam libros, cæteraque acceperam, venit ad me Fulvius in Iſerianum, quem ego inexſpectatum hoſpitem prandio accepi ſane Pythagoreo. Is igitur dies jucundiſſime conſumptus eſt de vobis, ſed in primis de te colloquendo, quum ille te mihi ita diligenter deſcriberet, ut & ipſum amore tui jam flagrare intelligerem. Quo in ſermone omnia me delectarunt, præter unum illud, quod eam vivendi rationem te iniiſſe ajebat, quæ valetudini vehementer noceret; te enim totas noctes vigilare, mox ſtertere pæne ad meridiem. Tu vero vide, quid agas, ſi & valere vis, & ea ipſa, quæ moliris, perfecta videre aliquando cupis. De imagine tua valde equidem te amo, in qua multum diligentiæ eſſe fateor, artis fortaſſe parum. Atque audio, te non ſolum hilariorem eſſe, ſed omnino pulchriorem. De Bandio ſane liberaliter: quem quidem ego permagni facio. Aldinii librum ſtatim perlegi totum. Oratio mea lentum negotium, & ego nondum rure diſceſſi. Fulvius noſter gratiſſimum ſe vobis apud nos præbet. Nam

in

in omni ſermone cum de vobis ea prædicat. quæ ſumma ſunt, tum in primis veſtram humanitatem, ac veſtrorum in ſe officiorum magnitudinem diligenter ſtudioſeque commemorat. Pro quibus quidem officiis & ipſe vobis gratias agerem, ſi tantum mihi apud vos tribuerem, ut mea potius commendatione, quam ipſius cauſſa ea illi vos præſtitiſſe exiſtimarem. Quod ſi & hominis virtute adducti, & nonnihil etiam meis litteris excitati, tanta eum benevolentia complexi eſtis; profecto, quantum ipſe vobis debet, quominus tantundem & ego debeam, non recuſo. Geminum Montii poematium (1) legi ſane feſtiviſſimum, & ipſa divûm ambroſia ſuavius. Sed obſecro te, eſtne ejuſdem Latina ſcriptio, atque Italica? Adhuc enim neſciebam, Montium noſtrum eſſe bilinguem. Quiroſio, quod libelli ſui (2) plura exempla ad me m ſerit, gratiam habeo. Tantum mihi dolet, quod argumentum id ſit, in quo ego ſim hoſpes. Habes epi-

(1) Intellige *Hendecaſyllabos*, qui *in nuptiis Cajetani Raſpii & Jucundæ Pellegrinæ* Ferrariæ prodierunt anno MDCCLXXVII.

(2) *De Fidejuſſore in duriorem cauſſam cum juramento accepto. Ferrariæ MDCCLXXV.*

Epiſtolam plenam feſtinationis; quippe jam vaſa colligebam, ut in urbem redirem. Tu valetudinem tuam, non ut facis, ſed diligenter curabis; me quidem diliges, ut facis. Vale III. Id. Majas. CIↃIↃCCLXXVII. de Iſeriano.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXIV.

Fulvium ſalvum veniſſe gaudeo, cui meis verbis ſalutem dices. Quod ille tibi de mea lucubratione narravit, id ſane a communi vivendi ratione abhorret. Sed cum facile tibi probarem, id mihi prorſus eſſe neceſſarium, ut a moleſtis interpellatoribus commentatum me eripiam, tum certe valetudini nihil nocet. Igitur plane valeo ut nunquam magis. Quamquam jam ita aſſuevi, ut ab hac conſuetudine diſcedere ſine valetudinis periculo fortaſſe non poſſim. Quod ad imaginem attinet, non dicam ſane, eam mihi eſſe ita ſimilem, ut egomet mihi; ſed tamen non eſt omnino diſſimilis. Ac præcipua quidem lineamenta eadem ſunt. Jam ſi minus latæ maxillæ eſſent, ſi oſſa illa, quæ prominent, propius aliquanto abeſſent a naribus, oculiſque ipſis ſubjicerentur, ſi oculi ipſi minori intervallo dijunge-

ge-

gerentur, nec torquerentur violentius, & eſſent vividiores, denique ſi univerſa facies eſſet hilarior, tum profecto fideliſſime me referret. Itaque primo aſpectu non facile me ipſum agnoſco: ſed tamen quo magis imaginem conſidero, eo ſimiliorem deprehendo. Quod quæris, an hendecaſyllabi illi a Montio noſtro ſcripti fuerint, alius quidem eſt Latinus poeta, alius Italicus. Nam *Saturnianus Autonides* (1) Montius eſt: neque vero ille ſolet Latinis uti muſis, ſed noſtratibus (2). Latine igitur hendecaſyllabos ſcripſit Cajetanus Melior Neapolitanus, qui Serræ Prolegato eſt a cognitionibus, vir omni eruditione expolitus, & *doctus ſermones utriuſque linguæ*, Latinæ, inquam, ac Græcæ. Bundi poemata tibi jucunda fuiſſe gaudeo. Vale etiam a Malfatto, & a Bevilaquis. Nolo enim ad alteram pagellam excurrere. Vale iterum. XIV. Cal. Junias.

H GEOR-

(1) Hoc nomen Arcades Montio indiderunt.

(2) Utitur tamen nonnumquam & Latinis. Argumento ſit Elegia *de Chriſto Nato*, quæ Italicis ejus Carminibus hoc anno MDCCLXXIX. Liburni editis inſerta eſt pag.53. in qua mira eſt cum ſuavitas, tum elegantia.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXV.

ITa me ames, mi Clementine, ut de Montio feciſti ſane perhumaniter, qui & ejus *viſum* edendum curaveris (1), & ea præterea laudatione ornaveris, qua nihil illi honorificentius fieri poteſt. Itaque non dubito, quin hominem tibi perpetuo devinxeris: cui ſane nihil tale exſpectanti maximam inſperatamque lætitiam ſcio me attuliſſe. Feci autem per litteras. Nam & ipſe Fuſignani eſt, & ego hic ruſticor apud Bevilaquas: hoc eſt, abſumus Ferraria uterque. Quum mihi reſcripſerit, faciam te certiorem. Sed ille ipſe, ut arbitror, tibi ſcribet, & gratias aget. Ego vero, mi Clementine, etſi tibi gratias non ago; jamdiu enim mihi perſuaſi te eſſe me alterum: amo tamen te de hac re plurimum; video enim te id feciſſe non tantum Montii cauſſa, ſed etiam mea. Quum enim ille me auctore hanc tibi operam dederit, noluiſti probum adoleſcentem officii & obſervantiæ erga me ſuæ pœnitere. Porro autem Malfatto exemplum non dedi, Bononiæ enim abeſt;

ſed

---

(1) De hoc poematio vide Epiſtolam XV.

ſed illi ſervo. Effigiem tuam exſpecto: quam quum a pictore deſcribi juſſiſti, intelligo te elegantiori munere me impertiri voluiſſe. Attamen pace tua dixerim, quæ tua manu deſcripta fuiſſet, eam mihi gratiorem futuram fuiſſe. Sermonem etiam tuum Academicum legam libentiſſime, de quo tibi Barottus & Quiroſius gratias agunt. Quæ tibi θεολογικώτερα ſcripſi, (1) iis te delectari gaudeo. Quod autem ipſorum Commentariorum exempla deſideras, libenter mittam, excuſa quidem ſi, ut ſpero, edentur propediem; ſi minus, deſcripta librarii manu. Hoc enim intervallo περὶ τῆς Ἐγκυκλοπαιδείας ſcito nihil eſſe factum. Libri mei exemplum tum mittam, quum in urbem rediero: niſi forte cives iſti tui ita ſunt librorum emaces, ut te æque, ac curioſi illi enecent. Quod tamen non arbitror. De miraculis, quæ ferebantur, hæc brevi habeto, utrumque a tanta nominis dignitate longiſſime abeſſe. Jam qui Divi Ignatii ope convaluiſſe dicebatur, & poſtridie in febrim incidit, & octo poſt diebus diſceſſit e vita. Quare qui hoc miraculum appellet, ſanus non eſt. Mulier porro perbelle ſe habet, ſubitoque convaluit.

(1) Hæc ad alias Georgii epiſtolas pertinent, in quibus quædam erant de *Ethnicorum ſalute*, de *Gratia*, de *Libertate*.

valuit. Verum id erat morbi genus; *convulſivum tumorem* dicunt, de quo Hippocrates neſcio quid ſcriptum reliquit, id, inquam, erat, ut non magnopere mirum ſit ſubito convaluiſſe. Quamquam id mirum eſt, mulieris valetudinem in eamdem horam incidiſſe, qua hora demortui Pontificis (1) effigies ipſi admoveretur. Quod ſi caſu factum eſſe dixerimus, quid non caſui tribuendum eſt? Sed hæc haſtenus. Parenti tuæ ornatiſſimæ & optimæ ſalutem dices: quicum amœnitate iſta fruere villulæ tuæ, quæ hoc uno minus commoda eſt, quod longius Ferraria abſit. Vale. VIII. Cal. Septembres. MDCCLXXVII.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXVI.

QUum tuas litteras quotidie magis exſpectare inciperem, adhuc deſidero, neque tamen exputare poſſum, quid te, hominem cæteroqui diligentem, uſque adeo impediat, ut ne illud quidem ſcribere poſſis, te ſcribere non poſſe. Memini enim, te vel in ſummis occupationibus non prætermiſiſſe tamen

men

(1) Clementis XIV.

men antehac, quin mihi ſtudioſe reſponderes. Ac ſuſpicarer quidem, meas litteras periiſſe, niſi in quem erant conjectæ faſciculum, eum tibi eſſe redditum e Barotti epiſtola cognoviſſem. Reſtat igitur, ut, quod minime vellem, mali aliquid ſuſpicer, quod ipſum duplex eſſe poteſt, ut vel ad amicitiam, vel ad valetudinem certe pertineat. Quamquam de amore in me tuo ſi dubitem, injuriam tibi faciam: de valetudine vero quid cogitem? Vides, mi Georgi, ut nihil horum verum ſit, tuum tamen ſilentium ob has ipſas ſuſpiciones mihi eſſe acerbiſſimum. Quare, ſi me amas, relictis omnibus, hac me cura fac liberes. Vale. V. Cal. Novembris. De Iſeriano.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXVII.

NUmquam profecto tua fuit æquior querela ſilentii mei. Nam quum debuiſſem reſcribere iis litteris, quas dederas pridie Idus Septembres, tum etiam poſtea elegantiſſimo gratiſſimoque munere ſum provocatus. Videar igitur ſane hominum inurbaniſſimus, neceſſe eſt, niſi me mendaciolo aliquo purgem. Sed ego, mi Clementine, ab hac arte tam

ſum alienus, quam tute ipſe. Fatebor igitur, eoque me crimine condemnari patiar, quo liberari ſalva veritate vix poſſum. Ne tamen, quoniam valetudine uſus ſemper ſum optima, de amicitia aliquid ſuſpicere, hoc ſilentium unde profectum ſit, audies. Iis itaque litteris pridie idus datis confeſtim reſpondere ſtatueram: jamque, ut puto, litterulas aliquot exaraveram. Verum quum ceſſaſſem, ſubſecuti ſunt etiam dies, quibus vel ad breviſſimam ſcribendam epiſtolam vix tempus habuerim. Ab unis igitur ad alteros tabellarios rem diſtuli. Ac ſæpe accidit, quum jam ſtilum pæne ſumpſiſſem, quo tibi ſcriberem, offerri mihi librum aliquem, cujus deſiderio jamdiu tenerer. Ego autem ita ſum comparatus, ut in his rebus nullo modo temperare mihi ipſe poſſim. Hinc igitur factum eſt, ut multorum litteris jamdiu nihil reſponderim: ne ipſius quidem Senenſis librarii. Quare vel ipſam Ἐγκυκλοπαίδιαν noſtram de me queri arbitror, quæ negligentia mea jamdiu torpet. Feres autem, ut opinor, minus moleſte tuas querelas cum iſtis eſſe conjunctas. Sed jam, quum me excuſarem, priori epiſtolæ ſatis reſpondi. Itaque venio ad alteram. Faſciculum igitur, quem Baronio dederas, ruri accepi quum eſſent nobiſcum Barottus & Quiroſius, atque adeo Malfattus, qui jam Bononia redierat.

Ita-

Itaque & illis diplomata extemplo tradidi, quos tibi ſcio per litteras gratias egiſſe: & Malfattus id mihi confirmavit, imaginem tibi eſſe ſimillimam. Quare non eſt quod amplius deſiderem. Quamquam & ad artem ipſam quod attinet, mea quidem ſententia, accurate ſatis eſt picta: ut autem a puero, mirifice. Iſta porro facies vigorem quemdam præſefert cum valetudinis, tum ingenii. Quod quidem in viro quærimus. Hic enim arbitror, modo tamen quodam adhibito, ea locum habere quæ Serranus diſputat de elegantia (1). Quid, quod hunc vigorem vel ipſæ puellæ deſiderant? Cæterum te uni dumtaxat probari velim, eique, quæ tibi unice probaretur. Euleriani libri (2) epitomen libentiſſime legi: quem quum a Romanis Ephemeridibus leviter adumbratum vidiſſem, nunc a te plane expreſſum eſſe arbitror. Legi etiam Robertiæ epiſtolas

 (3): quæ,

(1) Vide Serrani librum pro Martiale pag.107.

(2) Euleriani libri titulus eſt: *Saggio di una difeſa della divina Rivelazione di Leonardo Eulero, tradotto dall' idioma Tedeſco ec.* Hæc autem epitome relata eſt in Acta Litteraria Vicetina. Vide volumen VII. quod prodiit anno MDCCLXXVII. ad pag.113.

(3): quæ, ut a femina præſertim profectæ, laude digniſſimæ mihi viſæ ſunt. Pro quibus, ac præſertim imagine, quæ mihi cariſſima fuit, gratias tibi agerem ſingulares, niſi id multo ante ſtatuiſſem, te in eorum eſſe numero, quibus gratias agere minime debeam. Quo in numero Fulvium arbitror recenſeri facile poſſe. Sed tamem quum nulla talis mihi cum illo ſit conſuetudo, meæ ſane negligentiæ me pudet. Quum enim ille Hiſpanicam ceram eamque egregiam mihi dono jam pridem miſerit, nondum illi ſcripſi ſaltem accepiſſe me. Quod, etſi ſero, faciam tamen. Tu, ſi exiſtimationem meam curas, fac me apud illum excuſes. Nunc audi quid hic in quæſtionem adductum fuerit. Primo utrum in hac complexione *propter mortem civium omnium proſequutam lacrymis perficere non potuit* peccatum ſit adverſus latinæ συντάξεως leges, atque adeo σολοικισμὸς? deinde quid judicandum de hac propoſitione? *Verborum, quæ deponentia vocant, præteritis ſaltem temporibus paſſive uti poſſumus*. Tandem an verbum hoc

(3) Franciſca Robertia Franca, ornatiſſima ac litteratiſſima femina, librum edidit anno MDCCLXXVII. hoc titulo: *Riſpoſta della Signora Conteſſa Roberti Franci alla Lettera ſul prender l'aria e il Sole, con alcune Lettere Famigliari*. V. Ephem. Mutin. T.XII. p.341.

hoc *proſequor* commune ſit? De quibus nolim arbitrere me ancipitem eſſe, quum & hi pueruli rideant, de his inter homines diſputari. Sed tamen quoniam unus aliquis non indoctus, nempe ut ſe defendat, ad doctorum judicium provocat, velim diſtincte ſcribas, quid de quaque quæſtione ſentias. Nolo tamen bonas horas male perdas. Quare ſententiam ita dumtaxat proferes ut judex, non etiam confirmabis ut patronus. Ama me, ut facis, mi Clementine, neque de meo in te amore unquam dubita. Ferrariæ. IV. Nonas Novembris. Addo Montii epiſtolam, quam mihi jam pridem ad te miſit. Ille tibi gratias agit apud me ſingulares.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXVIII.

IMaginem meam Malfatti quoque judicio probatam eſſe incredibiliter gaudeo. Fulvius ſalutem tibi refert, quem profecto habes tui ſtudioſiſſimum. Ac diligenter ei ſcripſi, ne tibi ſuccenſeret; magis id quidem ut morem tibi gererem, quam quod opus eſſe exiſtimarem. In quo nihil me fefellit. Quæſtio iſta, ſi quid video, ita ad explicandum expedita eſt, ut vix eo nomine digna videatur. Tamen quid

quid ſentiam, accipe. In ea complexione *propter mortem civium omnium proſequutam lacrymis &c.* nec collocatio ſatis latina, & ſolœciſmus eſt in *proſequutam*. Illa quoque propoſitio falſa haberi debet; *verborum, quæ deponentia vocant, præteritis ſaltem temporibus paſſive uti poſſumus*. Nullum enim ejuſmodi verbum, quod ſciam, eſt uſquam a Latinis paſſive adhibitum: quis enim unquam dixit, *munus a nobis functum eſt, poſtquam egreſſum eſt ex urbe*, & ſimilia? Denique verbum *proſequor* commune non eſt, ſed deponens tantum. Vides me præciſe, quod ſentiebam, dixiſſe, nulla ſubjecta ratione. Etſi quam rationem ſubjicerem, niſi illam, quæ unice in his rebus valet, ſic veteres voluiſſe? Tu, ſi me amas, priſtinam illam ſcribendi diligentiam fac revoces, tuamque valetudinem cures. Montii noſtri epiſtolam legi amantiſſime ſcriptam, cui propediem reſpondebo. Malfatto ſalutem plurimam: etſi ei iratus ſum aliquantulum, qui tam raro ad me ſcribat. Vale. XVIII. Cal. Decembris die Natali meo.

GEOR-

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXIX.

Ego vero, mi Clementine, ita ſum occupatus, ut priſtinam illam ſcribendi diligentiam revocare vix poſſim. Sed quoniam tu me ita amas, ut litterarum mearum deſiderium vix feras, faciam quod potero, & tibi ſaltem breviſſime reſpondebo. Fulvio nondum ſcripſi, ſed faciam tamen. De quæſtione illa ita ſane ut ſcribis: hoc enim vocabulo appellari non poteſt. Velim tamen ſcias, quum ſponſio facta fuerit, ni ita res ſe haberet, ut tu & ego cenſemus, reſque ad arbitros delata fuerit; eum, qui tecum ſenſerit, ſponſionis damnatum fuiſſe. Itane igitur, inquies, profligata eſt in Italia latinitas? Sed noli nimium moveri: nam hiſpani judices erant. Quid ſi de hac ipſa ſponſione libellum aliquem comminiſcerere? Verum ne facias. Vale a Malfatto, cæteris. Malfattus autem in Mathematicis eſt totus. Hinc raro ſcribit. Vale iterum. Calendis Decembribus.

VAN-

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXX.

Accepi tuas litteras, in quibus illud me perculit, quod ſcribis, factam eſſe ſponſionem, ni ita ſe res haberet de complexione illa, quemadmodum ego & tu cenſueramus, eumque, qui nobiſcum ſenſerit, ab Hiſpanis judicibus damnatum fuiſſe. Hoccine igitur fatum noſtrum eſſe, ut ſemper illos homines habeamus adverſarios? Verum cave putes, me aut vehementius commoveri, aut ullas litteras de ea re cogitare; a quo conſilio (velim mihi affirmanti credas) quam longiſſime abſum, qui intelligam, quam tota res ſit levis, ac nugatoria. Apud te autem, mi Alexander, non video quid ſit cauſſæ, quin ea, quæ ſentio, breviſſime exponam. Ego enim ſic arbitror, quod Hiſpani complexionem illam defendunt, eos nequaquam nullam rationem ſequi, ſed infirmam quamdam, atque fallacem. Fortaſſe enim ſi probaverint, verba deponentia παθητικῶς aliquando uſurpari, viciſſe ſe putant. Itaque afferent illud Propertii: (1)

Non

(1) L. 1. Elegia III.

Non tamen auſus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens verbera ſævitiæ.

Et illud M. Cœli ad Tullium: (1) *de damnatione ferventer loqui eſt cæptum*; itemque Varronis (2): *ut ſedetur, ambulatur, loquitur*. Addent & locum Salluſtii de Bello Catilinario (3): *ſed civitas, incredibile memoratu eſt, adepta libertate, quantum brevi creverit*. Quid igitur? an explorate quis poteſt affirmare, deponentia his locis παθητικῶς ſumi? Nemo hercle; nam quæ hodie deponentia habemus verba, ea fere omnia activa etiam forma apud Veteres efferebantur; itaque & *experio* quidam legunt apud Catullum, (4) & *loquo* habet Petronius in Fragmentis, ut etiam de tertio illo verbo *adipiſci* ſit ſuſpicioni locus, fuiſſe eadem forma uſurpatum; niſi putas; pro *adepta libertate* legendum eſſe *adepta libertatem*. Si Cortii Salluſtium hic haberem, planius poſſem dicere. Nunc tamen interea non, ſi Propertius dixit *expertam*

ſævi-

(1) l.VIII. Epiſtola VIII.
(2) lib.V. de Lingua Latina.
(3) C. VII.
(4) Carmine XXI.

ſævitiam, aut Cœlius *loqui eſt cæptum*, idcirco Hiſpani recte colligent, *proſequutam mortem* dici poſſe; etenim omnes illæ dictiones non utique a deponente, ſed ab activa forma eſſe poſſunt. Verum fac eſſe a deponente: fac, inquam, verba quædam deponentia παθητικῶς fuiſſe adhibita; num ideo, quia *experior*, *loquor*, *adipiſcor* eo ſenſu occurrunt, putabimus, etiam *proſequor* ſic ſumi poſſe? quis unquam hoc dixerit, qui modo Latinæ linguæ elementa deguſtarit? qui ſciat, his in rebus minimum valere analogiam? quod idem ei reſpondebo, qui quæ ſuperius dixi, retorquere in me velit, atque hoc ipſum *proſequutam mortem* ab activa hujus verbi forma, quæ apud Veteres fuerit, repetere audeat. Nam *aſſentio*, *experio*, *loquo*, & quædam alia dictitaſſe Veteres ſcimus, *proſequo* vero neſcimus. Hoc autem ubi agitur de lingua, quæ ore uſurpari deſita eſt, in verborum uſu ſervandum puto, ut conjectura, incertiſque argumentis nos duci non patiamur, nihilque nobis ſine veterum exemplo licere arbitremur. Quamquam ne illa quidem Propertii, Cœlii, Varronis, ac Salluſti exempla (ſi modo ad deponentia pertinent, non ad activa) temere imitanda cenſeo; ſatis enim liquet, ab iis auctoribus proficiſci, quorum alii poetica licentia uterentur, alii obſoleta

quæ-

quæque & inuſitata ſtudioſe infercirent, velut Cœlius, & Salluſtius. Quod ſi ita eſt, jam vides, quid de Scriptore iſto veſtro dicendum ſit, qui non modo non malo, ſed nullo plane certo exemplo dictionem ſuam tueri poteſt. Vereor, ne mihi iraſcaris, qui te ineptiſſimis litteris interpellarim, præſertim tam occupatum; iraſcere ſane, ſed memento, iram eſſe loquacem. Ego quum hæc ſcriberem, adhuc ruri eram, ſed cito in urbem cogitabamus. Idibus Decembribus. MDCCLXXVII.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXXI.

Dionyſium, quem mihi commendaras (1), libentiſſime ſane vidi. Vidi, inquam, tantum. Ante enim fere diſcedere illum audivi, quam veniſſe. Quod quidem moleſtum mihi valde fuit. Cupiebam enim eum hominem, qui & tibi cariſſimus eſſet, & a me ipſo plurimi fieret, vel officio aliquo proſequi, vel certe non de facie tantum cognoſcere. Verum ita plane non dicam diſceſſit, ſed evolavit,

(1) Hæc ad aliam Vannettii epiſtolam pertinent, quæ hic non reperitur.

lavit, ut neutri deſiderio potuerim vel leviſſime ſatis facere. Hic mihi tuo nomine & *Tyrolenſis Bibliotecæ ſpecimen* (1) attulit, & *puerilis inſtitutionis* (2) exempla aliquot. Jam Bibliothecam illam quum ineptam appellas, ſane non reprehendo. Etſi enim quod Germanos Italis miſceat, levius fortaſſe fero, quam tu ſoleas; non tamen leviter ferendum puto, quod leviſſima quis colligat ſtudioſiſſime. Amabo enim te, duodecemviri hi veſtri qui homines ſunt? quorum quidem ego, illitteratus ſane, inquies; ſed tamen quorum neminem noveram, præter Archium. Atqui hos, qui librum iſtum legerit, principum loco habeat, neceſſe eſt. Qui ſi principes ſunt, ſatius oppido fuiſſet ab omni concinnanda Bibliotheca abſtinere: ſin autem; auctori vehementer iraſcor, qui patriæ gloriæ conſuluerit tam inepte. Sed ſcriptionem tuam (3) videbo, in qua

(1) Hoc *Specimen* a Jacobo Tartarotto olim editum, iterum prodiit Venetiis an. MDCCLXXVII. cum additamentis. Specimen ipſum XII virorum vitas complectitur.

(2) Intellige M. A. Mureti poematium ad M. A. Fratris filium, quod in uſum Gimnaſii Roberetani editum eſt anno MDCCLXXVIII.

(3) Intellige epitomen, quæ relata eſt in Acta Litteraria Vicetina anno MDCCLXXVII. T.XII. p.35.

qua plura, arbitror, reprehendes. Venio ad Muretum: cujus inſtitutioni auream ſane Epiſtolam præpoſuiſti. Ipſa porro Mureti carmina & ſententiarum gravitate, & ſermonis nitore digna profecto erant, quæ a te in puerorum uſum ederentur. Nam quod interpretationem addis, ætatique conſulis, ſane non reprehendo; quod tam verboſos verſus elegeris, iſtuc, mi Clementine, probare non poſſum. Quin potius tu ipſe vertebas? quid enim facilius? ego enim arbitror, id ex tempore fieri poſſe. Quod ſane apud me fecit vir non ille quidem omnino indoctus, ſed ſeveriorum litterarum amator, quique & a poeticis longe abhorreat, & verſus jamdiu nullos ſcripſerit, (1) Quem ego facile exoravi, ut ſcriberet. Hanc igitur interpretationem volui ad te mittere, non ut abſolutum aliquid, ſed ut aliquid tamen. Atquæ hæc quidem acceperam a Dionyſio. Ego vero illi munuſculum ad te dedi, non quo te remunerarer, multo enim pluribus me cumulaſti, ſed quod ſperarem, tibi non ingratum fore, Buccii librum de inſtituenda, regendaque mente. In quo velim ſcias Apollonium noſtrum cenſoria virgula notaſſe non pauca. Ego vero vehementius Apollonio non repugnavero;

I ſed

(1) Hic ipſe eſt Georgius.

ſed præterquam quod ex hoc aliquid poſſum diſcere, quod ego non minimi facio; & perſpicue ſane ſcribit, & nitide, ut arbitror, & eleganter. Qui ſi aliquando peccaverit, id vero hominis eſt; ſed æquius feram *pulcro reſperſos corpore nævos*, quam ſine nævis invenuſtam quamdam & ruſticam corporis ſpeciem. Sed de hoc ſatis. A Montio arbitror te epiſtolam accepiſſe: ſe enim ſcripturum dixerat. De Grammatica illa quæſtione, quod tu ſcripſiſti, recte illud quidem. Ego vero multo plura congeſſeram: ſed tamen qui tecum ſenſerat, ſponſionis damnatus eſt. Pueri tibi & gratias agunt, & ſalutem dicunt. Ad hos Malfattus, Quiroſius, Barottus, cæteri. Tu matri dices, optimæ & lectiſſimæ feminæ. Vale, & ad me per otium ſcribe. V. Cal. Febr, An. MDCCLXVIII.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXXII.

NUnc ipſum, quum aliquid ad te cogitarem, tuas jucundiſſimas accepi litteras, quibus ne quæras, quantopere ſim delectatus, præſertim tanto intervallo. Ego vero, mi Georgi, reſcribam ut potero; nam quum multos jam dies in Latinorum quorum-

dam

dam librorum, quos Germani ad nos miſerunt, lectione verſer, non ſponte id quidem, ſed neceſſitate, ita inquinatas barbaro illo ſcribendi genere aures habeo, ut Latine mihi videar pæne dedidiciſſe. Sed quoniam otio minime abundo, hæc omittam, atque ad rem ipſam potius veniam. Quod ſummo in Dionyſium ſtudio te eſſe oſtendis, id mihi mirifice eſt gratum, tibique confirmo, etiam ipſi, quum audierit, fore quam jucundiſſimum. Nam te, mihi crede, & diligit, & pro eo ac debet, in cælum fert. Soleo enim hominem ſæpius interrogare, qualis ſibi primo ſtatim aſpectu viſus fueris: qui mihi ſancte affirmat, nihil te uno eſſe dulcius, modeſtius, candidius. Quæ quidem etſi jamdiu cognita atque explorata habeo, tamen, quia te incredibiliter amo, libenter ab optimo quoque audio commemorari. De Bibliotheca, quam tibi plane aſſentiar, ex epitome cognoſces. Et quidem eruditiſſimum te judico, quod neminem noveris, præter Archium. De Mureti interpretatione, ne vivam, niſi idem mihi ſemper eſt viſum, quod tibi. Cur igitur edebas? inquis; inopia, ut ajunt, alia non erat, neque ego poeta unquam fui. Quod utinam verſus iſtos, quos ad me miſiſti, in promptu habuiſſem! numquam profecto ab illis diſceſſiſſem. Quamquam ne nunc quidem nullus remedio locus

eſt relictus. Sed ſcire ſane velim, quis iſte ſit Lucilius, qui tam multos, tamque bonos verſus *ſtans pede in uno* àpud te effuderit. Buccii librum, de quo valde te amo, in Suburbano meo ad rivuli ſtrepitum in ſole ambulans lectito, eaque lectione Germanorum barbariem videor mihi quodammodo abſtergere. Quæ in eo doctrina, Dii boni! quæ ſubtilitas! qui etiam lepor! quam ſplendida & copioſa oratio! Itaque tibi affirmo, nullum mihi a te munus gratius accidere potuiſſe. Quo die litteras a Montio accepi, dedi ad Malfattum: ipſi Montio nuper reſpondi. De ſponſione illa, iterum miror: quin tu me certiorem facis, quis judex ſederit? Sed ab latere tibi eſſe audio iſtos σολοικογράφους, Plura haberes, niſi ad alios de eodem hoc oleo ſcribendum eſſet. Vale. VII. Id. Febr. CIↃIↃCCLXXVIII.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXXIII.

Tu vero, mi Clementine, & Euritium iſtum veſtrum tractàſti urbaniſſime, & de libro tamen ipſo (1) verum judicium tuliſti, & illud etiam poſtre-

(1) Intellige *Bibliothecam*, de qua Epiſtola XXX.

BIBLIO ... VITTORIO ...

ſtremo addidiſti, ut, qua ratione clarorum virorum vitæ ſcribendæ eſſent, hominem hujuſmodi præceptorum maxime egentem doceres. Ceterum quum veteres vitarum ſcriptores græcos latinoſque, tamquam optima ad imitandum exempla, Euritio proponis, jure quidem tuo id facis, nec de ea re quiſquam te poſſit reprehendere. Sed hoc in genere non pœnitenda exempla noſtra ætas tulit Fontanellium & Alambertium: quos quidem, tua pace, non tantum Suetonio alicui, ſed Cornelio etiam ac Plutarcho ſine ulla dubitatione prætulerim. Hi quum ab hoc ſcriptionum genere propius etiam abſint, non erant fortaſſe omittendi. Quos niſi legeris, etiam atque etiam velim ut legas. Nihil tam preſſum, tam nitidum, tam ſponte fluens. Atque aliquis quidem his Thomaſium addidiſſet & Harpium. Ego Harpium, quem in cælum ferri audio, non legi. Thomaſii ingenium plurimi facio, ſcripta non item. Qui enim hominem feram, qui res aut numquam, aut raro ad modum ſuo vocabulo appellet? Ego enim cum Boileavio facio, qui panem ſe panem appellare profitebatur. Hæc me velim ſcias ſcripſiſſe, non ut id tibi vitio verterem, quod abeſt a vitio, ſed ut te veterum ſcriptorum amore ante omnia flagrantem ad recentes etiam legendos revocarem excitaremque. Neque ve-

ro is ſum, ut te ad geometrica aut φύσικὰ cogam penitus inveſtiganda: verum ſi Fontanellium legas, ſi Alambertium, ſi cæteros hujuſmodi, non ſine magna delectatione uberem etiam harum rerum eruditionem, quæ nunc plurimi fiunt, aſſequeris. Tu, quæſo, ignoſce amori meo: quo enim magis te amo, eo te omnis doctrinæ genere volo eſſe ornatiorem. Redeo ad Muretianos illos verſus, quorum auctor ſciſcitabaris quis eſſet. Verum id ſcias oportet, etſi auctor ipſe non peſſime, ut ferme ex tempore, rem ſibi ceſſiſſe arbitretur, tamen nihil illum minus velle, quam vulgari ſe verſus facere. Inepte, inquies. Quod quidem arbitror; ſed tamen ſunt hæc in amicis ferenda: neque quidquam eſt tam facile, quam ei morem gerere, ut ejus nomen ne divulgetur. Quod attinet ad ſponſionem, arbitros audio in hanc rem fuiſſe Serranum, Galliſſanum, Povium. Serranus impetravit ne judicium ferre cogeretur: prudenter ſane. Res igitur ad duos rediit: quorum primus pronunciavit, eam complexionem recte habere: deponentia verba παθητικῶς uſurpari: verbum *proſequor* commune non eſſe. Povius in poſtremo dumtaxat diſſenſit: cenſuit enim & illa duo ita ſe haberi, & verbum *proſequor* commune eſſe. Contra hunc ſenſerat Ferrius, Tiraboſchius, tu, ego, omnes. Verum ut ad σολοικογράφον

ve-

veniam (iſto enim vocabulo ſum delectatus) quicumque ille tandem fuerit, nolo eum parvipendas. Leviuſcula enim ſane iſta ſunt, & in doctiſſimos etiam viros cadere aliquando poſſunt. Noſti vero ipſum etiam Ciceronem, Deum illum noſtrum, ab Attico accuſatum fuiſſe eo nomine, quod ſcripſerit *in Pyræa*. Tamen illo tempore hæc erant multo turpiora: alter autem eorum erraverit, neceſſe eſt. Hic jgitur σολοικόγραφος vir eſt & cetera plane doctus, & hoc ipſo doctrinæ genere non mediocriter eruditus. Tamen peccavit; quod ſane mirum non eſt: jure ſe ita ſcripſiſſe defendit; in quo multo plures ille doctos viros ſui ſimiles habet, quam ego mei. Sponſione laceſſitus eſt, eaque vic t, hoc potius mirum eſt. Vale; neque enim de hoc oleo, quod tu ſcripſeras, poſſum tres pagellas exara e. Lucerna enim me monet ſe eſſe exhauſtam: niſi feſtinem, me per tenebras cubitum diſceſſurum. Attamen habes jam, vel ipſa invita lucerna, tertiam pagellam juſtam. Idibus Februariis.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXXIV.

MEminiſti, opinor, quid dicat Lucius Craſſus in libris de Oratore, illum ſibi non videri liberum,

qui non aliquando nihil agat. Id profecto cauſſæ ſuit, cur tuis litteris ſane humaniſſimis non ſtatim, ut ſoleo, reſponderim. Nam his proximis Bacchanalibus nihil mihi cum libris negotii eſſe volui, meque ad otium paulliſper contuli, ut tandem experirer, an liber eſſem. Quod quidem proceſſit ex ſententia. Sed hæc melius cognoſces ex epiſtola, quam dedi ad Malfattum; non enim arbitror, cum ſevero aliquo patruo mihi rem eſſe, ſed cum eo homine, qui honeſtam hilaritatem in adoleſcentibus probet, ipſe ab omni oblectationis genere non ſit alienus. Nunc ad litteras venio. Quod judicium de Euritio meum tam valde probas, haud mediocriter mihi gaudeo; nam, ita vivam, priores tuæ litteræ approbationis tuæ ſpem mihi neſcio quomodo imminuerant. Quod autem Fontanellii & Alambertii mentionem deſiderare videris, equidem fateor, noluiſſe me quidquam oſtentationis gratia ſcribere, neque eos auctores laudare, quos auditione tantum magni facerem. Quamquam Thomaſium quidem, quem tertium addis, jam pridem legeram. Sed quum laudationes, quas edidit, oratoriæ ſint, non Hiſtoricæ, & quidem tumidiore dicendi genere, mea ſententia, haud raro peccent; hujus mentio minime ad rem noſtram pertinebat. Recte, inquis, ſed id ipſum reprehendo, quod Fontanellium, quod Alam-

lam-

lambertium, divinos homines, numquam legeris. Ego vero, ſi quæ in mentem veniunt, efficere omnia liceret, non iſtos modo, verum etiam plures alios Scriptores jam evolviſſem. Sed noſti, mi Georgii, in his rebus quid fieri ſoleat: multa ſæpe molimur, multa paramus, quæ mox aggrediamur; Sed quum bene maturum eſt, tum maxime negotium aliquod incidit, quod nos ad alia omnia traducit. Dein aliud ex alio; interim abeunt dies, menſes, anni. Quæ quidem noli putare eo à me dici, quod a Fontanellii atque Alambertii lectione abhorream, ſed nimirum ut intelligas, quidvis potius fuiſſe cauſſæ, cur illos nondum legerim, quam aut contemptum, aut negligentiam. Legam autem, mihi crede, quum primum per occupationes potero diligentiſſime. Nam cum ipſos ſummo in pretio habeo, tum nihil antiquius mihi eſſe debet, quam ut conſilia tua perſequar, præſertim tam mihi ſalutaria, quibus utinam nihil falſi tuus in me amor admiſceret. Quum enim rerum varietatem a meis Scriptis abeſſe doles, quum recentiore hac doctrina imbutum me cupis; ita me Dii ament, ut & verum plane dicis, quod ego libentiſſime audio, & amice me mones, quod ne fruſtra facias, operam dabo. Verum quum præclara quædam de me prædicas, quod ſæpe ſoles, facile intelligo, judi-

cium iſtud, quo excellis, nimia benevolentia vel corrumpi, vel hebetari. Quod ſi nos fortuna unum in locum aliquando conduxerit (quem talem diem videre profecto geſtio) tum vero quum me coram alloquutus fueris, etiam hic tibi error eripietur. Neſcio enim quomodo majora omnia longinquitas fingit, quæ præſentes melius metimur. Quare, obſecro te, mi Georgi, ſi quid habes, quod mihi prodeſſe poſſe exiſtimes, pro me ſane, ut facis: magnificas laudes illas, quæ pudorem mihi etiam ſoli incutiunt, nec me tamen meliorem faciunt, in illud tempus reſerva, quum me coram perſpexeris; certo enim ſcio, te, ſi id evenerit, in perpetuum abjecturum. Sed ne epiſtolam prorſus inanem habeas, adjunxi neſcio quam ſcriptionem meam (1) recentiſſimam. Nam quum Oratio quædam

(1) Hæc Scriptio edita eſt Roboreti anno MDCCLXXVIII. ſine nomine. Eſt autem defenſio quedam Orationis, quæ Venetiis prodiit hoc titulo: *Orazione Funebre recitata in un' Aſſemblea di Amanti del buon ſenſo*. Quæ quidem Oratio iterum impreſſa eſt Romæ hoc anno MDCCLXXIX. præpoſita laudatione Ephemeridum Mediolanenſium, ubi nonnulla ex hac ſcriptione afferuntur. Vide pag. XVII. & XVIII.

dam Venetiis exiſſet, qua unus ex his Philoſophis, qui *ut putentur ſapere, cælum vituperant*, ſummis laudibus onerabatur, quumque eas laudes, quas ego ironiæ plenas putabam, ita vulgo acciperent homines, quaſi vere ac ſerio effunderentur, eaque res civitatem noſtram commoviſſet, declamante præſertim quodam Iippo; viſum eſt mihi imperitorum ſermones tollendi, vel certe refrigerandi gratia paucas haſce pagellas edere, quibus & Orationis auctorem, quiſquis eſt, a teterrimo impietatis crimine vindicarem, & ipſi Orationi lucem pro virili parte adhiberem. Hujus igitur Scriptionis judicium a te exſpecto: plura exempla, ſi voles, a me petes. Salutem dic Bevilaquæ ornatiſſimo, Malfatto, Barotto, ac Montio, deliciis atque amoribus meis. Vale. MDCCLXXVIII. Nonis Martiis.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXXV.

ITane igitur me omnis hilaritatis putas eſſe inimicum? In hanc profecto rem convenit quod tu ſcripſeras, ſi non majora omnia longinquitatem fingere, at certe diverſa, quæ præſentes melius metimur. Si enim coram adeſſes, quod non minus ego,

quam

quam tu, deſidero, tum vero cerneres, quam longe abſim a Catoniana iſta ſeveritate. Sed te imago mea in errorem induxit, quam tamen tibi ſcripſeram multo ſeveriore habitu eſſe, quam ego ſim. Probo igitur adoleſcentes, immo vero vel ſenes, relaxare aliquando animum, & ſeſe dare iucunditati. Quæ ſi etiam urbanitate aliqua ex optimis artibus petita aſpergatur, nego quidquam eſſe libero homine dignius. Quod ſi tamen a Bacchanalium celebritate abſtinemus, id vel occupationibus tribuas, licet; vel etiam, ſi velis, æqualitati naturæ neſcio cui, qua fit, ut diſſimillimis diebus non ferme diſſimiliter affecti ſimus. Quamquam hanc æqualitatem a lentitudine arbitror non longe abeſſe, vel potius vocabulo tenus differre. Sed non is ſum, qui amicos reprehendam, quod iis vitiis careant, quæ in me ipſo facile fero. Verum ne multa, Bacchanalia iſta veſtra, & verſus, & quidquid vobis oblectamento fuit, & laudo omnino, & tibi gratulor. Malſattus autem epiſtolam tuam legit & Montio. In quo illi ignoveris, quod a mandatis defecerit, ne cui poetæ. Ille autem re tota eſt delectatus, ſed mihi viſus eſt ſeveritatis gloriolam, a qua tamen abeſt quam longiſſime, apud te aucupari. Mandavit enim ut ſcriberem, ſe vel poſtremo Bacchanali die, veſperi, quum ſe omnes ingurgitarent, ad

ad mediam noctem apud me incœnatum delituiſſe legentem aliquid, vel ſcribentem. De Fontanellio & Alambertio egregie tu quidem. Sed illud optimum, quod Marcum Zagurium civem meum, Cenetenſium Epiſcopum, hominem nobilem juxta ac pium, & ſuaviſſimis ornatum moribus, nunc autem, ut video, doctum etiam ac diſertum (hic enim Orationis illius certiſſimus auctor eſt) contra inſulſorum hominum calumnias eleganti evulgata epitome defendiſti. Quod mihi æque gratum accidit, ac ſi me ipſum purgaviſſes. Si quis enim, quum de his rebus opportune ſcribat, reprehenditur, hunc ego arbitror mihi quodammodo prælucere. Jam tu rem totam ita demonſtras, ut qui nondum εἰρωνεύεσθαι illum videat, non lippus quidem, ſed cæcus ſit. Cæterum Zagurii heroa, quem tu Voltærium facis, alii Rouſſeavium putant. Ego vero arbitror, neutrum privatim ab eo eſſe petitum, ſed potius generatim quem libet ex hoc grege Philoſophorum. Sed tamen quum Voltærius infinita prope volumina ſcripſerit, ſitque omnium Scriptorum longe unus inconſtantiſſimus, quæcumque Zagurius ſcripſit, in illum fortaſſe quadrare poſſunt. At Rouſſeavius nuſquam profecto negavit, Dei providentia, ut Tullii utar verbis, mundum adminiſtrari, eumdemque conſulere rebus humanis: im-

immo vero de Deo, deque naturali, quam dicunt, religione & optime ſentit, & magnifice diſputat. Salutem tibi ii adſcribunt qui ſolent, ego iis dico quibus ſoleo. Vale. Idibus Martiis MDCCLXXVIII.

VANNETTIUS GEORGIO S. D.

XXXVI.

JAmdiu nullas abs te litteras accepi, idque non tam occupationibus tuis, quam otio & pigritia factum ſcio. Sed quoniam nihil detrimenti ex tam diuturno ſilentio amicitiam noſtram cepiſſe ſpero, querelas ac reprehenſiones omnes libenter mitto. Scripſeram nuper ad Malfattum, me Horatio vertendo operam dare. Reſcripſit ſuaviſſime, ut ſolet, ſed tamen ut avocare me potius, quam impellere videretur. Scilicet putavit, multorum menſium opus a me eſſe ſuſceptum. Nam ut paulliſper, inquit, hoc agas, nemo reprehenderit. Cæterum memento quod ille ait Mathematicus apud Monteſquiæum: *ſi tu ſemper aliena vertas, numquam tua vertet quiſquam*. Præclare quidem & Gallus hic & Italus noſter. Quo magis cupio te ſcire, quid omnino conſilii hac de re habeam, ut quid ipſe ſentias, cognoſcam. Quum enim hac proxima æſtate Ho-

Horatii Lyrica verſibus a Corſettio translata legiſſem, multaque deprehendiſſem, quæ a Poeta vel ſenſu, vel ingenio, vel ſpiritu longe abeſſent; epiſtola bene longa, quam brevi editam accipies, judicium meum accurate expoſui, atque arrepta occaſione quædam de Veterum poematibus proſa potiſſimum oratione convertendis injeci, quæ, ſi res exigat, altius repeti, ac ſubtilius explicari poſſent. Hæc ruri ſcripſeram, quum tanti eſſent calores, ut omnia circum ardere viderentur. Poſtea in urbem redii, ubi, etſi aliud agendum erat, tamen frequenter me ad Horatium referebam. Inſederant animo Iſerianæ cogitationes, ac me ipſe jam impellebam, excitabamque, ut quando veteres Poetas multo melius proſa, quam carmine exprimi poſſe cenſerem; id ipſum in Horatio tentarem, Gallorumque morem in Italiam inducerem. Ut igitur rurſus, præclaris ſtipatus comitibus, *me in montes atque in arcem ex urbe removi*, nihil prius habui, quam ut Battouxium, Sanadonium, ac Dacierium legerem. Ea lectio meum conſilium mirifice confirmavit. Quum enim viderem, tantos viros, quamvis in Horatio vertendo proſa uſi eſſent, tamen & ſæpe, nec leviter aberraſſe; putavi, non mediocrem locum induſtriæ meæ relictum eſſe. Itaque rem ſuſcepi, in eoque maxime elaboravi, ut non modo ſingulas

Poe-

Poetæ ſententias atque imagines, ſed & ordinem, & vim, & venuſtatem, totum denique characterem, ac, quoad ejus fieri poſſet, vel ſonum repræſentarem. Verum nec omnia, nec multa ejus poematia transferre unquam fuit animus, ſed cujuſque generis duo tantum, aut tria, ex quibus docti homines veluti guſtum haurire poſſent. Hæc inter venit ad me Hippolytus Bevilaqua, vir, ut noſti, in primis litteratus, idemque poeta multo elegantiſſimus, qui nova, ut ipſe quidem appellabat, vertendi ratione motus, incredibiliter me excitavit. Etſi idem addebat, hanc ipſam in multorum reprehenſiones incurſuram, quibus tamen ne terrerer; fore enim plures, qui rem totam probarent. Quid jam? inquis; quam longe etiam abes ab eo fine, quem tibimet præſcripſiſti? Ego vero propius, quam arbitrare. Nam ſi unam etiam Epiſtolam convertero, nihil reſtabit, niſi ut commentaria, quæ ſingulis poematiis adjicienda cenſeo, quorum materiam congeſſi jam ac diſpoſui, abſolvam expoliamque. Id autem menſes ſummum duos mihi auferet. Neque enim φιλόλογικα ſolum perſequor, ſed etiam philoſophica; in quo a Dacierio non diſcedo, qui mihi unus omnium optime videtur divinam Horatii mentem introſpexiſſe. Si igitur quantum temporis vos aleæ dediſtis, & ambulationibus, & conviviis,

tan-

tantum ego ad Horatium vertendum mihi ſumpſi ; vides, nihil eſſe, cur a quoquam, nedum a vobis, ſubaccuſer. Cæterum ubi omnia perfecta erunt, ad te, atque ad alios doctos viros mittentur, qui ſi *plura nitere* pronunciaverint, & in quibus peccatum ſit, ea corrigi poſſe ; aliquando fortaſſe edam ; ſin autem unam lituram allini juſſerint, tenebris tineiſque mandabo. Habes ordine omnem rem. Quod reliquum eſt, gratulare mihi, quod ea, quæ de Gymnaſticæ diſciplinæ ratione ad noſtros Præceptores inſtitueram, tandem ad exitum perduxerim. Vere enim ut dicam, magno onere mihi videor liberatus. Volumen prorſus effeci, quod tamen continebitur. Romæ quid agat Montius, an litteras meas acceperit, vehementer ſcire aveo. Tu me fac diligas, & quam primum tuis litteris recrees. Nam vetus eſt dictum, læſam patientiam in furorem facile verti. Vale etiam atque etiam. De Iſeriano. XIV. Cal. Decembris. MDCCLXXVIII.

GEORGIUS VANNETTIO S. D.

XXXVII.

Iſtuc ipſum verebar, mi Clementine, ne ſcilicet in furorem verteretur læſa patientia. Quatuor enim

abhinc

abhinc menſibus nihil ſcripſi: cujus ſilentii etſi plures cauſſas afferre poſſum, probabilem certe nullam. Dii tamen bene, quod iſta patientia nondum læſa eſt. Quam ne diutius tentem, ſcribo jam, ut vides. Ac primo proximis litteris reſpondebo. Quod igitur Horatium vertis, equidem, ſi omnia hujus carmina transferre meditareris, probare non poſſem. Cenſeo enim, univerſum interpretum genus in difficillima & laborioſa arte verſari, eaque inhonorata & ingloria: in qua quidem ii dumtaxat exercere ſe debent, qui cum aliqua ſcribendi facultate polleant, nihil tamen eruditis auribus dignum promere de ſuo poſſunt. Quare qui huic ſe gregi immiſcet, is mihi vere videtur confiteri, ſe magnum aliquid audere non poſſe. Verum longe alia eſt tua ratio. Nam & Alambertius vertit excerpta ex Tacito loca, quæ velim legas; & nos ipſi, ſi tamen aliquo numero ponendi ſumus, Alambertii præſertim mentione facta, plura aliquando per otium & ex poetis & ex hiſtoricis noſtra fecimus. Cæterum ad Græcos Latinoſque poetas quod attinet, ita prorſus exiſtimo: carmine exprimi non poſſe, proſa non decere. Quare ſtatuo, Gallos facultatis, Italos decori rationem habuiſſe. Anne igitur rem hanc totam reprehendo? Nequaquam vero, ſi ad puerilem inſtitutionem referatur; in quam quum incumbis,

rem

rem oppido utilem præſtas. Sed magni refert, qua quid ratione proponatur. Itaque libellum iſtum ſtudioſis Adoleſcentulis, eorumque doctoribus cenſeo offerendum: Horatium verſibus exprimi noſtro ſermone non poſſe: præterea ſolere jam proſa reddi in gymnaſiis. Iis te voluiſſe conſulere, & dediſſe operam, ut qua ratione id fieri poſſet, oſtenderes: non ut Horatium Italum faceres: intelligere enim te, Horatium, ſi Italus fuiſſet, verſibus loquuturum fuiſſe: ſed ut poetam adoleſcentulis redderes familiarem. Hi itaque tua interpretatione utantur veluti duce ad ipſos poetæ aditus ac receſſus: in quos quum penetraverint, tum demum latina legendo, non modo ſententias, imagines, ordinem, ſed etiam vim & venuſtatem omnino aſſequentur. Neque vero vel doctis hominibus inutilem omnino laborem fore. Quum enim Sanadonius, Dacierius, reliqui in vertendo poeta non leviſſime aberraverint, non mediocrem induſtriæ tuæ locum relictum fuiſſe. Hæc de Horatio ingenue, & ex animo. Opus tuum de gymnaſticæ diſciplinæ ratione tibi gratulor: quod quidem maximi facio. Velim igitur ſcias, me hoc libentiſſime eſſe lecturum, ſi volumen ſine periculo proficiſci peregre poſſit. Montio epiſtolam tuam miſi jam tum quum accepi. Miror non reſpondiſſe. Ac mihi quidem duas treſve lit-

teras

teras continenter miſit: deinde magnum ſilentium. Prioribus epiſtolis reſpondebo, quum potero. Nunc enim, mihi crede, non vacat. Quod ſi noſſes quid tua cauſſa diſtulerim, profecto facile exiſtimares quantopere mihi cordi fuerit te placare. Vale, mi ſuaviſſime Clementine, & me, ut amas, ama. X.Cal. Decembris. MDCCLXXVIII.

F I N I S.

MAG 01917

Digitized by Google